PACTA CONVENTA
AVGVSTI III.
REGIS POLONIARVM
MAGNI DVCIS LITVANIAE
ET ELECTORIS SAXONIAE
COMMENTARIO PERPETVO
ILLVSTRATA

A


GODOFREDO LENGNICH D.



LIPSIAE
APVD IACOBVM SCHVSTER.
1736.

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO DOMINO
DOMINO
AVGVSTO III.
REGI POLONIARVM
MAGNO DVCI LITVANIAE RVSSIAE
PRVSSIAE MASOVIAE SAMOGITIAE LIVONIAE
VOLHYNIAE KIOVIAE PODOLIAE PODLACHIAE
SMOLENSCIAE SEVERIAE
CZERNICHOVIAEQVE
DVCI SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE MONTIVM
ANGRIAE ET WESTPHALIAE SAC. ROMANI IMPERII
ARCHI-MARESCHALLO ET ELECTORI LANDGRAVIO
THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE SVPE-
RIORIS ET INFERIORIS LVSATIAE
BVRGGRAFIO MAGDEBVRGI COMITI DIGNITATE
PRINCIPIS HENNEBERGICO COMITI MARCAE RAVENS-
BERGAE ET BARBYAE DYNASTAE IN RA-
VENSTEIN ET RELIQ.

REGI AC DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO



SERENISSIME AC POTENTISSIME REX.

Qui grauissimam Reipublicae cladem, si quando mortalitati eriperetur Augustus Secundus, olim praeuidebant, non aliud huic tanto malo sciebant remedium, quam si

Filius, ſuffragiis populi in Paterno collocaretur faſtigio, ac ſuis virtutibus nutantem ſalutem fulciret. Euocabat ſummus rerum Arbiter, optimum Regem, & Tu Auguſte Tertie Rex ac Domine clementiſſime, ſtatim plurimorum votis expetebaris: in Te Vno, aiebant, ſumma eſſe omnia, Te Vnum imperii molem & difficillimis temporibus ſuſtinere poſſe: eſſe Tibi aetatem rebus gerendis parem, magnum animum, pietatem, temperantiam, aequitatem, humanitatem, liberalitatem, regendi artes, induſtriam, prouidentiam, opes ampliſſimas & plura alia; praeterea faciem decoram, in vultu maieſtatem, & corpus cum dignitate procerum: quae quamuis fortuita, placent tamen in priuatis, in Principe vero, cultum ac venerationem prouocant augentque. Quae ergo erat multorum ſolicitudo, imo qui moeror! cum, incertis quamuis auctoribus, rumor incederet, velle Te Poloniam ſuo fato permittere, ſperari maiora, in praeſens Saxoniam ſufficere. Quibus tamen Tuum in gentem noſtram amorem, propius inſpicere contigerat, non poterant adduci, vt crederent, velle Te Regnum in acerbiſſimo luctu, in mediis turbis, ac metu grauioris mali deſtituere. Sciebant illi, non poſſe Te, Magnum Tuum Parentem aemulari, cuius tamen diuinas virtutes exprimis & refers, niſi ſubuenias, vt Iſte olim, labanti poſt Iohannis III. mortem Reipublicae aderat. Ex quo vero ſalutare Tuum conſilium patuit, redibat animus ac futurae felicitatis fiducia.

cia. Et ciuium quidem votis fauebat Caesaris studium, Russorum vero Augusta, suos offerebat exercitus, qui eligentium libertatem tutarentur. Omnia haec, Rex Auguste Tertie, pro tua electione nitebantur, quae sine caede, sine minis, sine contradictione, vno ore & animo successit quam felicissime.

Recipiebas tamen, Domine clementissime, Regnum lacerum & armis infestum; erant abalienati multorum animi, aliorum tamen magis quam sua voluntate; ferro & incendio miscebantur omnia; & quod bono Principi molestissimum, cogendi erant nonnulli, vt ad Rempublicam redirent, a qua discesserant. Verum non forte, sed quadam prouidentia,

illam tempestatem, illos turbines ac procellas exstitisse reor, vt eminentes Tuae virtutes, quae sensim & per interualla patuissent, statim & vno fere tempore proferrentur, probaresque experimentis, posse Te Regnum, quod meruisti, tueri. Qui scirent animi Tui robur, nisi aduersus discrimina firmissimum Te praestitisses? Quotusquisque incomparabilem nouisset mansuetudinem, nisi vltro, imo victos recepisses in gratiam, qui Tuam Maiestatem armis oppugnauerant? Ad quam paucos Tuae liberalitatis fama peruenisset, nisi in publicam salutem, paternas opes profudisses? Et quantum a Te differre videreris, si tranquillum adiisses Regnum, si omnes in Tui venerationem obuiam effusi, si tempus

omne inter plausus & laetitiam transmisisses, si cuncti ad Tuum nutum voluntatemque statim, se composuissent? Alia Regni Tui incunabula & rudimenta: Rempublicam sistere, pacare Poloniam, ignoscere lapsis, concordiam reddere, futurae felicitatis noua fundamenta iacere & firmare, ac eadem via, qua Parens imperium ingressus, ad immortalem gloriam niti & contendere.

Non quidem licuit, Rex ac Domine clementissime, cum Tuam Cracouiam ingredereris, Maiestati, inter caeteram turbam, acclamare, fuit tamen mihi dies ille vere festus, quo Regni insignia capessebas, quod intestini mali finem, quasi ex aliqua specula prospiciebam, ac Tuam salutem, Tuam fortunam, iam publicam, Deo votis commendaui ardentissimis: Imo cum tristissimum Parentis obitum, publica voce dolerem, iam Te Regno optabam, precabarque, vt Augusto Secundo succederet simillimus. Haec quamuis tectius dici videbantur, facile intelligebar ab illis, qui Parentem nouerant, & Filium non ignorabant. Patere, Rex ac Domine clementissime, per Tuam, quae innata Tibi, indulgentiam, iam Te apertius coli, & plane dedignari munusculum noli, quod omne suum pretium ex pactis Tuis conuentis habet, & sine quibus Tuam Maiestatem accedere non sustinuissem. Demitte vultum, ex illo Tuo fastigio in ciuem, forte quidem ex infimis fere, sed qui fidem & pietatem in Regem, summum

mum decus ducit, quique Deo quotidie ſupplicat, vt Auguſtus Tertius, Auguſtum Secundum gloria aequet, felicitate & annis longe ſuperet, ac gloria, felicitate, annis ſuperetur a nemine

SACRAE REGIAE MAIESTATI

REGI AC DOMINO CLEMENTISSIMO

deuotiſſimus ac ſubiectiſſimus ciuis

GODOFREDVS LENGNICH.

PRAEFATIO.

Solent Poloniae Reges, dum eliguntur, cum Republica paciſci, & ſpondere, quibus vel repetantur, quae olim bene conſtituta, vel quae minus recte ſe habent, melius ordinentur, vel commoda tum Regni ac prouinciarum tum priuatorum augeantur. Prima occurrunt *Ludouici* pacta, cum *Caſimiro M.* viuente, ſucceſſor deſignaretur, cuius exemplum, repetitum nonnunquam, ex *Henrici* tempore, in perpetuam tranſiit conſuetudinem, ſimul coeperunt *Pacta Conuenta* dici, ac Regni conſtitutionibus inſeri, vt publico hoc documento, vis illorum & auctoritas conſtaret.

Legis enim vigorem habent pacta conuenta, vt adeo quidam *obligationis Regiae decalogum* nominare non dubitauerit. Scribebantur olim ante Regiam electionem, poſt eam vero, a *Michaelis* tempore, conſtitutis ex Senatu & Nobilitate, qui Reipublicae nomine, cum Regis electi legatis agant, ac conditionibus ſubſcribant: inter quos tamen & alii nomina ſua addunt. Regis vero legati ante collo-

quium de pactis, mandati litteras exhibent, & negotio finito, conceptis verbis iurant, Principem promissa religiose praestiturum.

Hoc modo ad Maiorum exempla, fidem suam Reipublicae obstringi voluit, AVGVSTVS III. Rex ac Dominus noster clementissimus, vt Ordines scirent, quid sibi a nouo Rege expectandum; quae sub *Eo* legum securitas; & quanto omnium commodo, Paternum fastigium, *Filius*, piis suffragiis, ascenderit. Sunt tamen in pactis bene multa, ciuium plurimis, vt exteros taceam, non satis cognita; sunt alia, pro more solennium pactionum, breuius posita, quam vt a lectoribus, in his minus exercitatis, statim perspici possint; sunt, in quibus ad iura & consuetudines prouocatur, quae obscura manent, nisi illa in promtu habeas; sunt antiqua, sunt noua, sunt nuper inducta, quae nosse ac secernere a se inuicem, vt non omnibus datum, sic plurimum illorum interest, qui in Polonorum Republica peregrini haberi nolunt.

Credidit ergo *Vir Illustrissimus*, qui in suo laudabili secessu, praeter grauiora, & de litterariae rei commodis multum cogitat, magnam apud lectores initurum se gratiam, si sua, qua pollet, auctoritate efficeret, vt pactis vberior accederet commentarius, ipsisque exteris, ad interiores iuris nostri publici recessus, aditus recluderetur & pateret. Et mihi quidem, argumentum, quod magis honorificum esset, vix mandari poterat, quam recensere pacta, quae *Magno Regi* cum populo celeberrimi nominis, & cuius caussa nuper maior Europae pars, in arma

arma & caedes consurrexerat, intercedunt. In quo ita versatus sum, vt ad superiorum Regum pacta recederem, eadem cum praesentibus conferrem, vbi conuenirent aut diuersa essent, accurate notarem, quo, quae Reipublicae iam olim ab aliis promissa, annorum serie exhiberentur, ac rationes eiusdem rei, ex gestis priorum temporum adderentur. Ad normam legum illustraui, quaecunque illustranda erant, & pro maiori dictorum auctoritate, ipsa illarum verba recitaui: inde perpetuo statuta & constitutiones citantur, quod exteris in primis haud ingratum fore spero, quibus leges illae ad manus non sunt, & si essent, parum proficerent, quando lingua Polonica, qua scriptae constitutiones, ignoratur. Gentis historiam non omisi, quoties aut legis rationem, aut ea suggerebat, quibus rectius intelligi poterant, quae alias aut dubia aut in obscuro mansissent. Praeter haec quae occurrunt, vel frequenti scriptorum domesticorum lectione didici, vel ex illorum colloquiis, qui nostrarum rerum gnari sunt, accepi. Denique monendi lectores, partem commentarii, anni huius initio, totum fere, ante comitia nuper feliciter finita, confectum fuisse: quare ad §. 23. reditus nonnullorum, qui iam secutus, futurus perhibetur, ac illa, quae in memoratis comitiis acta, praeter vnum id, quod ad Curlandiam pertinet, plane silentur.

Genere dicendi vsus sum strictiori, sine ambagibus, sine digressionibus, ne lectoribus taedium afferrem. Interpretari conatus sum pacta, simul illorum vocabula, non omnia tamen, sed ea, in quibus pactorum vis consistit, & quae a multis ignorantur.

rantur. Multo minus animus fuit, legum quas adduxi, voces explicare, licet obſcuriores in iis eſſe non diffitear, ſcribendus enim fuiſſet commentarii commentarius, & pro vno, duo in lucem prodiiſſent: ſufficiebat mihi, ea eſſe plana, quibus probare volebam quae probanda erant. Quae in pactis, pro more gentis, admixta Polonis erant latina, retinui, quamuis plurima veteris Latii non erant, quod immutare illa religio erat. Idem de legum latinis vocabulis tenendum, nec non ſeruaui, quae in Polonia dudum recepta, adeo vt latinius reddi nequeant, niſi velis ab iis, quorum intereſt, non intelligi. Hoc vero, vna mecum aegrius ferent lectores, editionem commentarii mendis abundare, licet librarius, vir induſtrius & bonae famae in ſuo negotio ſtudioſiſſimus, nullis pepercerit ſumtibus, quo nitide & eleganter prodiret. Videbor ſatis excuſatus, quod per abſentiam, operas typothetarum retractare non potui. Luſtraui, poſtquam plane exſcriptae, priores quatuordecim plagulas, plures enim ad me nondum delatae, & indicem erratorum exſtantiorum confeci, quem ad librarium mitto, vt meo exemplo, caetera folia relegi curet, & addi quae in iis menda reperta fuerint. Inſtantes enim Lipſienſes nundinae, quibus libellus proſtare debet, quo minus id a me fiat, vetant. Scrib. Gedani d. XVIII. Sept. MDCCXXXVI.

PACTA CONVENTA AVGVSTI III. REGIS POLONIARVM ET MAGNI DVCIS LITVANIAE, PERPETVO COMMENTARIO ILLVSTRATA.

PRAEFATIO.

Quandoquidem diſpoſitioni Supremi Numinis, a cuius Nutu Reges & Regna pendent, ſic placitum eſt, vt memoratus Sereniſſimus Princeps Regius, Dominus Elector & Dux Saxoniae, inter tot Praeclariſſimos Poloni Sceptri competitores, liberis Sereniſſimae huius Reipublicae ſuffragiis, in *Regem Poloniae & Magnum Ducem Lituaniae*, ac caeterarum Regni Prouinciarum *Principem*, vnanimiter electus & publice in campo electorali declaratus ſit, expoſcebant illico antiqua huius Reipublicae inſtituta [1], pro integritate iurium & libertatum, atque meliori ſorte & conditione iſtius Regni, vt certa pacta ſeu conditiones, partim a praedictis *Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis Miniſtris Plenipotentiariis* ſufficienti poteſtate inſtructis oblatae, partim ab ipſis *Regni & M. D. Lituaniae Statibus* propoſitae, de mutuo conſenſu inirentur ſancirenturque: [2] quarum conditionum, patria lingua [3] ex

tali methodo, quasi ipsemet *Serenissimus Princeps*, *Electus Rex* praesens adesset, conscriptarum, tenor in eum sequitur modum.

1 Vtique iam ab antiquo institutum, cum nouis Regibus per solenne pactum, ea constituere, quae ex publico vsu esse videantur. Nec tamen mos demum, extincta virili *Iagellonis* in Polonia, cum *Sigismundo Augusto*, stirpe, coepit, sed altius repetendum habemus. Designato a *Casimiro Magno*, consensu Procerum, sororis filio, *Ludouico*, Hungariae Principe, Successore, pacta conuenere, quibus futurus Poloniae Rex, inter alia spondebat: Se prouincias a Regno alienatas, in primis Pomeraniam suis sumtibus, suisque militibus recuperaturum, non nisi Polonum, qui per Regis absentiam praesit, Regno impositurum; tributa noua haud imperaturum, iura & libertates ciuibus sancte seruaturum, ac, si quae iis inique ablata, redditurum: quibus sub conditionibus, Proceres & Nobiles futuro Regi obsequium vicissim promittebant. *vid.* ANON. ARCHID. GNESN. *inter Script. Rer. Siles. Illustr. de* SOMMERSBERG. *T. II. p. 101* Extant eiusdem Ludouici litterae apud DLVG. *Lib. IX p 1102.* anno 1355. datae, quibus, quae de tributis; de Regis iter facientis, in praediis Ecclesiasticorum & Nobilium stationibus; de expeditionibus militaribus extra fines Regni; de successione solius sexus virilis, tum Regis Ludouici, tum Iohannis illius, vt vocatur, Nepotis; ac aliis constituta fuerunt, continentur. Haec prima possunt pacta conuenta dici; Altera anno 1374. sequebantur, cum Poloni succedendi ius, filiabus *Ludouici* largirentur, tum enim idem Rex pollicitus, fines Regni non imminui, sed potius proferri; ciuitates, castra, possessiones, oppida & villas, ab omnibus, & singulis tributis & seruitiis, praeter duos grossos, de quolibet manso locato vel possesso, singulis annis soluendos, immunes esse; damna in expeditionibus vltra Regni limites accepta sarciri; vetera castra tum Burggrauii tum incolarum, sumtibus reparari; noua autem, siue Procerum siue Regis impensis, pro diuersis rationibus exstrui; dignitates & munia publica non extraneis, sed indigenis, conferri; Regno non nisi Polonum, & quidem talem, qui ex stirpe Ducum haud descendat, praefici; denique, vt caetera omittantur, castra & ciuitates, in quibus iudicia exerceantur, solis terrigenis seu Capitaneis in Regno consistentibus, salua conferendi caetera extraneis facultate, concedi debere. Continentur haec singulari diplomate, quod in LASCONIS *Statutis f. 40.* legitur. Euaserunt pariter pacta conuenta, conditiones illae, quas obtulit *Iagello* Lituanus, quibusque obtinuit, cum *Heduigis* matrimonio, Poloniae Regnum. Recenset easdem DLVGOSSVS *L. X. p. 96. 97.* Idem Iagello, quo Polonis, qui filiorum alterum successurum promiserant, gratiam referret, plurima spopondit, ad quae seruanda futurus Rex obstringeretur, de quibus consulendus DLVGOSSVS *Lib. XI. p. 536. seq.* cum *Casimiro IV. Iohanne Alberto*, *Alexandro*, *Sigismundo I.* & *Sigismundo Augusto*, aut eorum nomine nulla intercesserunt pacta, nisi quod *Sigismundus* pater, electo filio, promisit, hunc, quamdiu Ipse viueret, non regnaturum, statim vero, ac ad iustam aetatem peruenerit, iura & libertates sacramento firmaturum, simul de seruandis finibus Regni integris, ac recuperandis, quae iniuste ablata, fidem daturum. Post *Sigismundi Augusti* vero obitum, cum singulis, quotquot electi Reges, pacta inita, quae inter Regni Constitutiones suis locis reperiuntur.

2 Ergo & Rex Reipublicae, & haec Illi obligatur. Celsissimus quondam Princeps & Episcopus ZALVSKI *Epist. T. II. p. 188.* affirmat: ne vnum quidem fuisse Regem, qui pacta haec seruauerit, eoque nomine *Iohannem III.* ex-

cusat. Hoc quamuis in medio relinquo, crederem tamen, quoties de neglectis pactis conuentis querela instituitur, dispiciendum esse, vtrum per Regem, an per Ordines steterit, quo minus illorum habita fuerit ratio.

3 Olim tamen latino sermone pacta conuenta scribi solebant, post Polonico. Primum mutati moris exemplum dedit Vladislaus IV. quod ex eo tempore in consuetudinem transiit.

§. I.

CAVTIO DE ELECTIONE LIBERA.

Senatus Regni, Ordo equestris, et omnes Status Regni Poloniae & M. D. Lituaniae, omniumque aliarum Prouinciarum annexarum [1] de hoc sibi apud Nos cauerunt, Nos vero idem illis pollicemur, illudque pro lege perpetua haberi consentimus, videlicet: quemadmodum per libera et vnanimia suffragia, omnium Statuum Reipublicae vtriusque gentis Polonicae et Lituanicae [2] singularumque Ditionum annexarum [3] ad hoc Regnum electi et suscepti sumus: ita nec *Nos* nec successores nostri, stante vita nostra, Reges nominabimus, neque vllo modo aliquem in Thronum nostrum Regium inducemus, idque ideo, vt perpetuis temporibus, post decessum nostrum, libera electio Regum, [4] apud *Status Regni & M. D. L.* et omnium Prouinciarum annexarum, secundum iura, priuilegia [5] & Constitutiones de libera electione latas, tam antiquas quam recentes, annorum 1607. 1609. 1631. 1662. & 1667. [6] in pleno robore maneat.

1 Non vno tempore Poloniae Regnum ad praesentem amplitudinem peruenit, sed creuit sensim, cum subinde nouae prouinciae accederent, quarum aliae Poloniae, aliae Lituaniae iunctae: Liuonia, vtrique facta est communis.

2 Eligunt Regem vna cum Polonis Lituani, idque ex veteri instituto. Postquam enim *Iagello* regiam dignitatem consecutus, prouisum a. 1401. vt Rege hoc, sine liberis & legitimis successoribus decedente, Poloni sine scitu & consilio Lituanorum, non alium eligant: quod in Conuentu *Hrodlensi* a. 1413. repetitum. LASCO *Statut. f. 126. 129.* PRILVS. *Stat. p. 689. & 692. &c. Vladislaus Iagellonides* cum caeteris iuribus & hoc de electione Regia ratum habuit, LASCO *f. 129.* PRILVS. *p. 692.* quod tamen fuit nouo diplomate a. 1499. firmatum. LASCO *f. 131* PRILVS. *p. 696.* Denique per vltimam in Comitiis Lublinensibus a. 1569. *vnionem*, statutum, vt nouus Rex, iunctis Polonorum & Lituanorum suffragiis, eligatur. VOL. CONST. *p. 174.* Seruatum id perpetuo, adeo, vt electo a Polonis *Michaele*, in permouendis ad suffragationem Lituanis laboraretur, *Epist.*

ZALVSK. *T. I. p. 126.* & Iohannes III. non prius Rex ſolenni more dictus, quam Lituani acceſſerant. *Ep.* ZAL. *T. I. p. 558.*

3 Inter caeteras prouincias, Regno iunctas, Pruſſiae, per deditionis pactum, quod *incorporationis*, vulgo vocatur, *priuilegium*, ſigillatim cautum, quod ad electionem & coronationem Regum admittenda. Quare, cum abſentibus Pruſſis, *Sigismundi Augusti* electio eſſet peracta, hi non tantum de laeſo iure, queſti, ſed & ſeorſim, prouinciae nomine, ſua ſuffragia in Eundem contulerunt. HIST. PRVSS. *T. I. p. 83. 85.* Imo *Sigismundus* Pater, ſuis litteris teſtatus, illibatum eſſe Pruſſorum in Regum Electionibus ius, illudque his verbis roborauit: *Vt quotiescunque Regem decedere, & Regnum vacare, aut electionem quomodocunque celebrari contigerit, Domini Conſiliarii ordinis vtriusque regni Poloniae, antequam ad electionem procedant, prius Status & Ordines Terrarum Pruſſiae, de hac ipſa noui Regis electione certiores faciant, ac eosdem ipſos Status ſecundum antiquam conſuetudinem, & contenta priuilegiorum eorum, ad eam vocent & admittant.* Exſtant litterae inter *Iura Municipalia Terrarum Pruſſiae.*

4 Sunt Poloni liberae electionis obſeruantiſſimi, habentque hoc ius, caeterorum veluti caput: ac ferunt moleſtiſſime, quidquid illi aduerſari videtur. Inde tot Sanctiones totiesque repetita pacta, quibus ſucceſſioni iretur obuiam, & omne illud, quod haberet haereditatis ſpeciem, amoueretur. In *Articulis*, vt vocantur, Regi *Henrico* oblatis, pro lege perpetua ſtatuitur, *ne Rex eiusque Succeſſores, dum viuunt, Regem alium nominent, aut eligant, aut ad electionem conuentum indicant, & aliquo modo Regem Succeſſorem promoueant, idque ideo, vt perpetuis temporibus, poſt Regum obitum, libera electio omnibus Regni Ordinibus maneat: quare neque Henricus, neque qui ſecuturi, Reges, haeredis titulo vtantur.* Quos *Articulos Stephanus* confirmauit. VOL. CONST. *p. 253.* Idem feciſſe intelligendus *Sigismundus III.* cum praeter caeteras libertates, articulos in coronatione *Henrici* Regis ſancitos, ſeruaturum promiſit. VOL. CONST. *p. 453.* Idem caput ex *Henrici articulis*, in *Vladislai IV.* pactis conuentis repetitur, additis CONSTITVT. a. 1607. 1609. 1631. & priuilegiis a. 1607 & 1631. PORZ. ELEKC. *a. 1632. p. 11.* Eadem iisdem verbis habentur in Pactis conuentis *Iohannis Caſimiri.* PORZ. ELEKC. *a. 1648. p. 15.* Conueniunt Pacta conuenta, *Michaelis*, *Iohannis III.* & *Augusti II.* niſi quod *Michaelis*, CONST. a. 1662. & 1667. *Iohannis III.* & *Augusti II.* praeter has, & alia CONSTIT. a. 1670. adiicitur: praeterea in *Augusti II.* pactis, ad recentiora ſancita, tempore *Iohannis III.* prouocatur. Non ergo mirum, magnos ſecutos animorum motus, quoties aliquid admiſſum, quod liberam electionem turbaret, aut ſuſpicio oriretur, verſari hoc ius in diſcrimine. Exempla, *Stephani*, *Sigismundi III. Vladislai IV.* & *Iohannis Caſimiri* tempora ſuppeditant. Imo *Michaelis* & *Iohannis III.* Regna non omni caruerunt metu.

5 Iura haec exercuerunt Poloni a *Ludouici* tempore, faſſique ſunt Reges per totam Iagellonicam ſtirpem, ſe conſenſu & electione Ordinum gubernaculo admotos. Singulorum teſtimonia habentur in Statutis PRILVSII p. 5 ſeq. Idem poſt Sigismundum Auguſtum ſingulorum Regum Pacta conuenta loquuntur.

6 Non tamen pactis conuentis acquieuerunt Ordines, ſed e re duxerunt eſſe, liberam electionem in Comitiis per conſtitutiones roborare. Cum, incertis quamuis autoribus, *Sigismundus III.* modo Regno Archiduci Auſtriae cedere, modo ſibi filium *Vladislaum* ſufficere velle, ferebatur, plurimi non inanem habebant famam, & qui turbare res, ex ſuis compendiis induxerant, ſpecioſum

ſum hoc argumentum cum aliis praetexebant. Tum ſecuta a. 1607. conſtitutio, qua Rex, quaecunque ſiue a ſemet, ſiue a ſuperioribus Regibus, in gratiam liberae electionis, aut alio modo ſancita, firmat, a Rege tum per *ceſſionem iuris*, tum aliis artibus, & quocunque praetextu, ſucceſſorem conſtitui, ad Regnum prouehi & adduci vetat; omnia, quaecunque vnquam in hoc negotio, contra liberam electionem & conſenſum Ordinum fierent, irrita & inania pronunciat: quicunque iure aliquo praetenſo, ſuccedere, & Regnum ſibi vindicare voluerit, hoſtem Patriae, ac omni tempore, Regno & magno Ducatui Lituaniae vt praeſit, *inhabilem*, eosque, qui talem oppreſſorem liberae electionis, conſiliis aut opibus adiuturi, aut futuri ei rei conſcii, perduelles iudicat. VOL. CONST. *p. 829. tit. Napierwey Warunek.* Sanctioni huic acceſſit, eiusdem Regis *Sigismundi III.* Diploma, quod tum ſtatim conſtitutionibus debebat inſeri, ſed demum a. 1631. inter eas locum obtinuit. Eſt illud latine ſcriptum, vtiturque inter alia memoratus modo Rex, his verbis: *promittimus, neque Nos Ipſos admiſſuros, vt viuentibus Nobis, de ſubſtituendo Rege tractatus ineatur, neque paſſuros, vt quisquam alter hoc ipſum attentare praeſumat: quin imo talem & tales omnes hoſtes patriae & ſubuerſores publicae libertatis iudicamus, poenisque iis, quibus criminis perduellionis rei tenentur, ſubiacere decernimus. Et nihilominus quicquid in derogationem libertatis eligendi Regis a quoquam factum attentatumue fuerit, id irritum nulliusque roboris fore, pronunciamus &c.* CONST. *a. 1631. p. 2.* Per Conſtitutionem a. 1609. Rex precibus equeſtris Ordinis annuit, vt diploma de libera electione datum, actis caſtrenſibus Regni & M. D. L. inſeratur. VOL. CONST. *p. 889. tit. Owarunku.* An. 1626. in Comitiis Thorun. non leuiter commoti animi, cum Regni Pro-Cancellarius, imprudenter de Succeſſore, Rege viuente, conſtituendo, mentionem inieciſſet, ac Iohannem Caſimirum, Regis filium minorem natu, commendaſſet. PIASEC. *Chron. p. 385.* Rex tamen omnem exemit metum, dum Conſtitutionem anni 1607. noua lege a. 1631. firmabat iubebatque, Diploma illius temporis, vt antea dictum, in Volumen legum referri. CONST. *a. 1631. p. 1. tit. Warunek.* Quantum turbarum poſterioribus *Ioannis Caſimiri* annis, conſilia de legendo, Rege imperante, ſucceſſore dederint, narrant KOCHOVII *Annales Climact. 3.* quibus T. *VII.* HISTORIAE NOSTRAE PRVSSICAE iungi poteſt. Duae inde illae, quae in pactis allegantur, natae ſunt Conſtitutiones, altera 1662, qua omnia de libera electione iura & conſtitutiones, a Regibus quibusuis latae & in pactis conuentis firmatae, in omnibus capitibus ſuis roborantur, & omnes contra eandem transactiones & ſcripta tolluntur, & ne tum Reipubl. tum priuatis nocere debeant, cauetur CONSTIT. *d. a. p. 3. tit. Reaſſumpcya.* Altera vero a. 1667. eadem continet, & poenas contra violatores huius iuris in Conſtitutionibus decretas, ratas habet. CONST. *d. a. p. 3. tit. Warunek.* His meretur addi CONSTIT. *a. 1670. tit. Warunek p. 12.* qua integritati liberae electionis ampliſſime proſpicitur.

§. II.

DOMVS REGIA IVRE SVCCESSIONIS ABSTINEAT.

Reaſſumendo omnia iura de libera electione cauemus, ne domus noſtra Regia vllam ſucceſſionem & praetextum proximitatis ad Regnum ſibi praeſumat [1]: his enim ſaltem praerogatiuis

 vte-

vtetur, quibus progenies antecedentium Sereniſſimorum Regum Poloniae vſa eſt, ſaluis iuribus Reipublicae circa hoc latis[2].

1 Eſt liberae electionis effectus, vt proles Regia, nullo ſuccedendi iure gaudeat: pugnant enim inter ſe electio & ſucceſſio. Quoties ergo viuentium Regum Succeſſores conſtituti, cuius rei exempla, *Caſimiri M. Ludouici*, *Vladislai Iagellonis*, & *Sigismundi I.* tempora ſuppeditant, factum id Ordinum conſenſu, qui pro electione haberi poteſt. De hac tamen re in pactis conuentis, ante *Michaelem* nihil cautum eſt. Et leguntur plane eadem, quae in praeſentibus, verba, additis, *vtDomus Regia aequalitati per omnia cum Statu Nobilitari ſubiaceat.* PORZ. ELEK. *p. 14.* Repetitur idem in pactis conuentis *Iohannis III.* at in *Auguſti II.* omiſſa, quae in prioribus de aequalitate cum Statu Nobilitari leguntur. Ratio diſcriminis, non niſi ex Domuum diuerſitate deducenda. Michaelis enim & Iohannis familiae illuſtres licet, pari tamen cum caetera Nobilitate iure vſae, quo easdem eximere non e re eſſe videbatur, licet ſummum conſcendiſſent faſtigium, qui ex iisdem nati; perſonis enim eorum Dignitas haec collata, non familiae. At domus Saxonicae electoralis, alia erat ratio, haec vt ante electionem regiam eminebat, per eandem ad conditionem equeſtrem demitti haud poterat.

2 Idem habent *Michaelis*, *Iohannis III.* & *Auguſti II.* pacta, niſi quod linea e lumbis directe deſcendens, expreſſe nominetur. Quae tamen illae praerogatiuae, lex non loquitur. *Sigismundi III.* tempore, cui numeroſa erat ſoboles, de bonis, dignitatibus ac iure quo vteretur, varia ſunt conſtituta, quae tamen eandem ſupra priuatorum conditionem non extollunt. Quod & dicendum de iis, quae ſequenti Interregno, & Vladislao IV. regnante, in gratiam eiusdem ſobolis decreta. Quod ſi ad vſum reſpicimus, habuerunt hoc praecipuum Regum filii, quod Regnum non tantum petere potuerunt, ſed & iis in electione praelatus nemo. Inde tota *Iagellonis* ſtirps Regnum tenuit, *Vladislao*, *Caſimiri IV.* filio natu maiore, excepto, cui Bohemia & Hungaria ſufficiebant. Haec cum per *Sigismundi Auguſti* mortem, in maribus deficeret, ea tamen *Sigismundi I.* filiae *Annae* in Polonia ſuperſtitis habita ratio, vt per pacta conuenta Stephano iungeretur. Huic nulla contigit proles, & poſt eius mortem *Sigismundus* Sueciae Princeps electus, ex hac, praeter alias, ratione, quod per matrem *Catharinam*, *Sigismundi I.* Nepos eſſet. Huius genus durauit in *Vladislao* & *Iohanne Caſimiro*, vtroque Poloniae Rege. *Iohannis III.* obitus, primum omiſſae Regiae domus exemplum dedit, agebatque Reſpublica ex ſuis rationibus, quae, cum poſt acerbiſſimam *Auguſti II.* mortem ceſſarent, rediit ad auitam pietatem, AVGVSTVM III. vt Paterni in Germania faſtigii, ſic virtutum omnium ex aſſe HAEREDEM, eligendo. Praeterea legimus *Vladislaum*, Patri, Sigismundo III. in Comitiis a. 1611. flagitantibus Nunciis Terreſtribus, in ſella ad laeuam primum aſſediſſe, HISTOR. NOSTRA PRVSS. *T. V. p. 54.* qui honor Iacobo, Iohannis III. filio, vrgente licet Regina, negatus. *Epiſt.* ZAL. *T. I. part. 2. p. 1042. 1058.* Quod ad Iura Reipublicae attinet, quae ſalua volunt pacta, ſunt tum ea, quae liberam electionem firmant, ne domus Regia ſibi ſumat, quae eidem aduerſa; tum ad ea referenda, quae *Sigismundi III.* & *Vladislai IV.* temporibus conſtituta, quorum modo a nobis facta eſt mentio.

§. III.

§. III.

CAVTIO DE RELIGIONE REGIS ET REGINAE.

Licet iura antiqua ſint indubitata, quod Rex ſit catholicus[1], propter aeternum tamen valorem, nunc & in poſterum, perpetua lege cauemus, pro Nobis & ſucceſſoribus noſtris, quia Nos fidem Romano-Catholicam profitemur, ne quoque in poſterum Rex diuerſae Religionis in Regnum Poloniae & M. D. Lituaniae eligatur, niſi ſit Romanae Orthodoxae Religionis Catholicae. Eiusdem fidei etiam Regina eſſe debet, ſiue natione, ſiue vocatione[2].

1 Ex quo Miecislaus I. Chriſtianam Religionem amplexus, perpetuo vſu obtinuit, vt nonniſi Rex Romano-Catholicus Regno praeeſſet. Debuit ergo Iagello, ſacro fonte ablui, ac Chriſtianorum coetui aggregari, dum regnare voluit, quod & inter caeteras pactiones vltro Polonis obtulit. De Sigismundo Auguſto exierat rumor, velle Eundem auita ſacra deſerere, imo promiſiſſe ferebatur, ſe Auguſtanam Confeſſionem recepturum, ILLVSTR. VIROR. EPISTOLAE *T. II.* DLVGOSS. *p. 1793. 1667.* Vix tamen credibile, Regem otii amantiſſimum, ac voluptatibus diſtractum, de re tanti momenti ſerio cogitaſſe, & mutatione Religionis infinitis turbis implicari voluiſſe, quem metus a diuortio, quod cum coniuge, quam plane auerſabatur, facere conſtituerat, retraxit. Magis ex ingenio locutus, cum Epiſcopo Varmienſi, Illuſtri illi Cardinali, Hoſio, de ſparſo rumore ſciſcitanti, reſponderet: *ne crederet vulgi ſermonibus, nihil tale ſibi in mentem veniſſe vnquam; ſe conſtanter in confeſſione fidei catholicae, quam a Maioribus ſuis accepit, ad extremum vsque ſpiritum ſuum permanſurum.* ILLVSTR. VIR. EPIST. *p. 1667.* Quantum, Sigismundo Auguſto extincto, Commendonius ſummi Pontificis Nuncius, laborauerit, vt poſt Illum Romano-Catholicus eligeretur, exponit GRATIANVS *in Vita Commendonii IV. 2.* Ex quo tempore ſummi Pontifices, nonniſi talem, Reipublicae per ſuos Nuncios commendarunt, quoties vacare Regnum contingeret. Et in hoc cura Commendonio ex voto ſucceſſit, quod Henricus Dux Andegauenſis electus, quem Hoſius Cardinalis, acerrimum Catholicae fidei propugnatorem vocat. ILLVSTR. VIR. EPIST. *p. 1677.* De Stephani Religione anceps quidem erat opinio, ſed aduentanti in Poloniam, obuiam miſſus Sulikouius, qui animum Eius ſcrutaretur. Hic in ſecretiori colloquio, Regem ingenue edocebat, ſine fidei Catholicae vera & ſincera profeſſione & obſeruatione, non ſolum diademate Regio ſe non eſſe potiturum, ſed nec Cracouiam quidem, ſedem coronandorum ac conſeruandorum Regum laudatiſſimam & Catholiciſſimam eſſe conſpecturum: Firmamentum eſſe Regni Catholicam fidem, & Catholicos Viros, ipſumque ſacrum Ordinem eſſe primam & praecipuam Reipublicae partem, & Senatus caput, & Regis animam, lucernam ac ſpiritum vitalem &c. Verum Rex Sulikouium de Religione plane ſecurum reddidit, & ſequenti die Miſſae ſacrificio non ſine lacrymis interfuit. SVLIKOV. *Comment. Rer. Polon. p. 60. ſq.* Sigismundus III. Vladislaus IV. & Iohannes Caſimirus, vt erant inſtituti, ſic in Religione Romano-Catholica perſtiterunt. Remiſſior quidem viſus Vladislaus; quod Miſſarum ſacrificia publice

non

non frequentabat, ſed excuſat Eundem valetudine, & conſtantiae in Religione ſua, perhibet teſtimonium PIASECIVS *Chron. p. 454.* Iohannes autem Caſimirus, non tantum in ſocietatem Ieſu recipi voluit, ſed & titulo Defenſoris fidei & Orthodoxi a ſummo Pontifice ornatus. Michael in pactis conuentis primus ſanxit, vt Rex Poloniae non eligatur, niſi qui Romanae orthodoxae Religionis Catholicae, PACTA CONVENTA §. *Iubo dawne.* Quod in Pactis Conuentis Iohannis III. & Auguſti II. repetitum. Poſt memorati Iohannis III. mortem, generali confoederationi inſertum, Regem non niſi Romano-Catholicum eligendum, quam prouidentiam ſibi tribuit, Princeps & Epiſcopus Varmienſis ZAL. *Epiſt. T. II. p. 121.* Vltimi autem Interregni confoederatio §. 10. adiecit, Regem eligendum ex vtrisque Parentibus orthodoxae Religionis, natum eſſe debere. Quo tamen illa nouitas tenderet, iam tum praeuideri poterat, & probauit euentus. Cum mortuo Michaele, Electoris Brandenburgici legatus, ex Regni Cancellario Leſcinio percontaretur, vtrum aliqua ſpes eſſet, de euehendo in Regium faſtigium Principe *Proteſtantium* Sacris addicto, ſi caueat, Religionem Romano-Catholicam ſe non turbaturum, & cui ſufficiat, ſua ſacra intra conclaue obire: Negabat hic, id fieri poſſe, obſtantibus in primis Michaelis pactis conuentis, & quod ſacer Ordo ac Nobilitas ſummis viribus repugnaturi. Simul fatebatur neminem Regno magis conuenire, quam Electoris filium, Carolum Aemilium, ſi ſacra mutare velit. Epiſcopus tamen Cracouienſis & Pro-Cancellarius ſolennem mutationem ſacrorum non vrgebant, modo ſemper in Catholico templo Miſſae interſit, ſiue interim preces fundat, ſiue quid aliud legat, ſacram vero coenam ſuo ritu recipiat. PVFEND. *de Reb. Frid. Wilh. T. II. L. XII. p. 947.* Inde cum Auguſtus II. Regnum peteret, praecipua Ipſi difficultas ex Religione ab iis mouebatur, qui ignorabant, Principem Religioni Romano-Catholicae acceſſiſſe.

2 Inter Reginas duae fuere, Religioni Romano-Catholicae non addictae, altera Alexandri, altera Auguſti II. Coniux, illa Graeca, haec Lutherana, neutra ob ſacrorum diuerſitatem corona redimita. Vladislaus quidem IV. ad matrimonium filiae Electoris Palatini animum intenderat, quod non ſuccedebat, cum illa in Religione Reformata perſtaret. PIASEC. *Chron. p. 492.* Primum tamen in pactis conuentis Michaelis l. c. conſtitutum, vt Regina ſit Romano-Catholica, ſiue natione, ſiue vocatione, hoc eſt, aut quod in eadem Religione nata, aut quod mutatis Sacris ad eandem tranſierit. Cuius rei auctorem, Celſiſſimus ZALVSKIVS, auunculum ſuum, Olzouium eo tempore Culmenſem Epiſcopum & Regni Pro-Cancellarium laudat. *Epiſt. T. I. p. 209. T. II. p. 121.* Michaelis exemplum, in ſuis pactis, Iohannes III. & Auguſtus II. ſecuti. Idem Caput de Regina Catholica, cura Zaluskii, Confoederationi ante Auguſti II. electionem, inſertum. *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 121.* Nec minus in vltimi Interregni Confoederatione generali §. 10. vt Regina ſit Catholica, cauetur.

§. IV.

PACI DISSIDENTIVM PROSPICITVR.

Et quoniam in hoc inclyto Regno Poloniae, Polonicae & Lituanicae Nationis & Prouinciarum annexarum, non exiguus eſt Diſſidentium in Religione Chriſtiana [1] numerus, propterea exemplo Anteceſſorum noſtrorum [2], ne poſtea ex hac cauſſa ſciſſio-

ſciſſiones & ſanguinis effuſiones fiant, id quod antiquis confoederationibus [3] & conſtitutionibus [4] cautum eſt, perpetuis temporibus tenebimus, non obſtantibus quibuscunque proteſtationibus [5], integra tamen in omnibus diſſidentium in Religione Chriſtiana, pace & ſecuritate [6].

§. V.

1 Vna fuit olim, poſt receptum Chriſtianiſmum, Religio, eaque Romano-Catholica. Cum Caſimirus Magnus a. 1340. Ruſſiam rubram Regno iungeret, admiſſa praeter Romano-Catholicam, & Graeca, quod eadem in illis Terris floruerat, & Rex fidem dederat Ruſſiae Proceribus, ſe eandem haud violaturum aut mutaturum. DLVG. *L. IX. p. 1058.* Inde, cum a. 1344. nonnulli ex hac gente, rebellionem molirentur, cauſſam allegabant, quod ſuae Religioni interitum metuerent. DLVG. *l. c. p. 1071.* Ex hoc tempore, in Regno, cuius pars facta Ruſſia, duae Religiones obtinuerunt. His tertia ſe iungere voluit, cum Vladislao Iagellone imperante, ex Bohemia, Huſſitarum dogmata, in Poloniam ſe infunderent. Sed quo minus id fieret, obſtitit Rex ſeueriori mandato a. 1424. Vieluni publicato, quo omnes haeretici in Regno capi & puniri, omnes, qui ex Bohemia venerint, Religionis nomine examen ſubire, quicunque ex Polonis in Bohemia fuerint, certo tempore, ſub poenis grauiſſimis, tanquam haereticis irrogandis, in Patriam reuerti iubentur, ac mercatoribus omne cum Bohemia commercium interdicitur. LASKO *Statut. f. 75.* PRILVS. *Stat. p. 169.* Et a. 1438. Ordines aduerſus eosdem haereticos illorumque fautores, Confoederationem Korczini inierunt. LASKO *l. c. f. 76.* PRILVS. *l. c. p. 171.* Sic repreſſi fuerunt Huſſitae, quos ſub Sigismundo I. & Sigismundo Auguſto, Lutherani, Reformati & Fratres Bohemi ſecuti, quorum doctrina, cum magno aſſenſu exciperetur, per plurimas Poloniae & Lituaniae prouincias ſe diffuderunt. Neque Socinianis, ſeu, vt vulgo dicuntur, Arrianis, qui circa eadem tempora ſuos errores propalabant, defuerunt aſſeclae & Patroni, vt pro vna Religione, iam diuerſae incolarum diſtraherent animos. Omnes hi, cum Romano-Catholicis vno Diſſidentium de Religione vocabulo continebantur. Cuius appellationis teſtem habemus confoederationem anni 1573. VOL. CONSTIT. *p. 209.* quae Religionis libertati proſpexit, primam, vbi Ordines Regni qui eam inierunt, ſe diſſidentes de Religione eſſe, fatentur, ſibique mutuam pacem, ac impunitatem ſacrorum nomine appromittunt. Et reuera diſſidebant a ſe inuicem, quotquot diuerſam Religionem ſequebantur, ſiue ea eſſet Romano-Catholica, ſiue alia quaecunque. Non ergo per illam confoederationem, ſolis, qui a Romano-Catholicis ſeceſſerant, aliquid conceſſum, ſed ſimul ipſis Romano-Catholicis, quod horum non minus quam caeterorum intererat, ob Sacra non turbari, non poenam, non vim pati: inprimis cum ex multitudine diſſentientium non vanus illo tempore ſuberat metus, ne aliquando Romano-Catholicis praeualerent. Quod cum non fieret, ſed illorum numerus in dies imminueretur, coepit diſſidentium vocabulum, ad Graecos, Lutheranos, & Reformatos transferri, quaſi iis a Romano-Catholicis, per dictam confoederationem, beneficii inſtar, pax Religionis nomine conceſſa fuerit, cuius limites ſtatuere & coercere, his integrum eſſet.

2 Sancita in Comitiis Conuocationis, poſt Sigismundi Auguſti mortem, mutua inter Diſſidentes de Religione pace, non poſtrema fuit cura, vt eadem ab

electo

electo Rege rata haberetur, & cum caeteris iureiurando firmaretur. Id & spondebant legati Gallici, cum nomine noui Regis promitterent, Eum omnia iura, privilegia, immunitates, praerogatiuas - - - siue per Serenissimos Reges - - - concessas, vel quouis alio nomine quaesitas, ac diuturno vsu approbatas, siue etiam circa electionem Regis, ex vnanimi & concordi omnium Ordinum consensu sancitas, integre & inuiolabiliter seruaturum, atque etiam Iuramento corporali confirmaturum. Vol. Const. *p. 226.* Postea missi a Republ. ad nouum Regem Parisiis legati, inter quos, de referenda inter pacta conuenta dissidentium pace, ortum certamen, Episcopo Posnaniensi, Palatino Siradiensi, & Mareschallo Curiae Lituanicae, id fieri posse negantibus, quod eidem in Polonia contradictum fuisset, caeteris, vt fieret, exigentibus. Ambiguum reddebat Regem haec legatorum discordia, ex quibus *Ioh. Zborouius* Odolanouiensis praefectus, obuersus ad *Monluccium*, Valentiae Episcopum, qui inter Oratores Gallicos primus fuerat: *ni vos legati*, inquit, *nomine Principum* (Regis Galliae Caroli, & Fratris Henrici electi iam Regis Poloniae) *hanc conditionem acceptassetis*, *hicce Princeps nobis contradicentibus in Regem eligi non potuisset.* Henrico quaerente, quid loqueretur Zborouius, hic ad Regem dirigens sermonem; *aio*, dicebat, *Rex Serenissime, ni hi Oratores tui hanc conditionem dissidentium de Religione, nomine tuo acceptassent, nobis contradicentibus Rex eligi non potuisses*, *imo ni eam approbaueris*, *Rex Poloniae non eris.* Fredro *Hist. Henrici p. 116.* Quare moniti a Rege legati, convenere, vt Rex cum caeteris capitibus iuraret, *se pacem & tranquillitatem inter dissidentes de Religione tuiturum; manu tenturum, nec vllo modo vel iurisdictione sua, vel officiorum suorum & Statuum quorumuis auctoritate, quempiam affici opprimique caussa religionis permissurum, nec se Ipsum affecturum aut oppressurum.* Vol. Const. *p. 227.* Pariter roboratur eadem pax inter dissidentes, in articulis *Henrico* oblatis & a *Stephano* firmatis. Vol. Const. *p. 253.* Ipse *Stephanus* vero *Henrici* verba in suo iureiurando repetiit, & in litteris *generalis confirmationis iurium* fidem dedit, licet priuilegia & libertates ecclesiasticas cum caeteris confirmauerit, id paci & tranquillitati inter dissidentes de religione, in iureiurando expresso derogare haud debere. Vol. Const. *p. 250. 259.* Qui secuti, Reges omnes, tum per pacta sua, tum per solenne, quod dixerunt Reipubl. sacramentum, dissidentibus de Religione pacem sancte promiserunt. Michael quidem Rex de se praedicasse fertur, quod pacem hanc cum *restrictione* iurauerit: sed quam periculosum hoc, Debicius *Succamerarius* Sendomiriensis exposuit: *si licet in vno puncto*, inquiens, *Regi Iuramentum restringere*, *licebit & in altero*, *consequenter in omnibus. Fatetur*, *se id in vno fecisse*, *quis scit*, *annon in pluribus?* Et Primas Prazmouius hanc mentis restrictionem Regi publice exprobrauit. *Epist.* Zalvsk. *T. I. p. 170. 265. 322 seq.*

3 Intelliguntur Confoederationes illae generales, quae singulis Interregnis, in comitiis conuocationis fieri solent. Prima quae inter dissidentes pacem sanxit, est anni 1573. cuius nota (1) ad hunc §. facta est mentio. Verba latine reddita adferre iuuat. *Et quoniam*, aiunt Ordines, *in nostra Republ. non paruum est dissidium in caussa Religionis Christianae, occurrendo ne ex hac caussa inter homines damnosa quaedam seditio oriatur, vti in aliis Regnis clare videmus, spondemus hoc nobis inuicem, pro nobis & successoribus nostris, in perpetuum, sub vinculo iuramenti, fide, honore & conscientiis nostris, quod, qui sumus dissidentes de religione, pacem inter nos conseruare, & propter diuersam fidem, & mutationes in Ecclesiis, sanguinem non effundere, neque mulctare pecunia, infamia, carceribus & exilio, & superioritati alicui aut officio ad eiusmodi processum nullo modo auxilium dare: quin imo,*

imo, si aliquis sanguinem effundere voluerit, ex ista caussa, opponere nos omnes erimus obstricti, licet etiam id alioquin sub praetextu decreti aut alicuius processus iudiciarii facere voluerit. Vol. Constit. *p. 209.* Idem iisdem fere verbis posteriores confoederationes statuunt. Nouam tamen rem aggressa, quae Augusti II. obitum excepit. Motis enim a Romano-Catholicis, conclaui Nunciorum iis, qui diuersae erant Religionis, caput de dissidentibus, per confoederationem hoc modo formatum: *Dissidentibus in Religione Christiana*, quo nomine saltem illi, qui a Romano-Catholicis diuersi intelliguntur, *pacem iuxta antiquas Confoederationes & praecipue iuxta constitutionem anni millesimi septingentesimi decimi septimi, ac securitatem bonorum, fortunarum & aequalitatis personarum cauemus, ita tamen, vt tantum in conclaui Nunciorum, in tribunalibus & commissionibus activitatem, simul suos priuatos congressus seu conuenticula, legibus prohibita, & officia Regni, Lituaniae, Palatinalia, terrestria & castrensia, saluis modernis possessoribus non habeant, neque vllas protectiones per se & Ministros apud exteras potentias quaerant, sub rigore legis, de perduellibus sancitae.* Confoed. Gen. *a. 1733. p. 2.* Posset hic quaeri, quo iure, Nobiles electi ad Comitia Nuncii, ob Religionem, legibus probatam, contra antiquum & perpetuum vsum, nullo admisso facinore, conclaui Nunciorum a fratribus, absentes, arceri; iis quae praecipua habet equestris ordo, more in libera gente vix audito, exui; ad conditionem plebeiorum redigi, & ob questus, ob Principum exterorum, quibus per publicas pactiones, ius est, intercessionem, poenae perduellionis subiici potuerint. Verum rem tam ampli examinis, arctiores Commentarii nostri limites haud admittunt. Dabitur forte alio tempore locus opportunior. Laudanda tamen insignis Reipubl. aequitas, quae per sollenne cum nouo Rege pactum, antiquas confoederationes asseruit: celebranda est summa Principis indulgentia, qui ciues veteri suo iure vti liberalissime concessit.

4 Praeter confoederationes, rarius in Constitutionibus de pace dissidentium agitur, exstat tamen de eadem lex inter scita Comitiorum *Stephani.* Vol. Const. *p. 275.* In Constitutione a. 1631. *p. 18. tit. Zatrzymanie pokoiu pospolitego.* Violatores pacis publicae puniri iubentur, qui praetextu Religionis Catholicae tumultus excitant, & vim inferunt: nec minus per aliam Constit. a. 1638. *p. 44. tit. Poena ná tych*, mulcta in eos statuitur, qui in Ciuitatibus Prussiae, Romano-Catholicos in exercitio suae Religionis turbaturi. Ex hac tamen ratione, in pactis antiquae constitutiones allegantur, ne diuersae Religioni addictis, superioris Interregni Confoederatio, quae eosdem Constitutioni anni 1717. subiicit, noceret. Est autem illa Constitutio, nonnisi Articulus IV. Varsauiensis post confoederationem Tarnogrodiensem, pacificationis, qui ideo Constitutionis nomine venit, quod tota Transactio inter constitutiones sequentium Comitiorum recepta. Sed iam anno 1717. *Augustus II.* singulari rescripto cauerat, dictum „articulum prioribus Confoederationibus, Regis pactis conuentis, ac quibusuis „dissidentium iuribus haud quicquam derogare debere.

5 Paci dissidentium multi intercesserunt, Sacri, Ciuilis, Senatorii, Equestris Ordinis, neque vno tempore, sed diuersis. Cum primum eadem a. 1573. sanciebatur, statim contradictiones, non quidem in ipsis coronationis comitiis, post illa tamen, scriptae, & Parisiis coram Rege *Henrico*, ab Episcopo Posnaniensi, Palatino Siradiensi, & Mareschallo Curiae Lituanae, qui ex numero legatorum erant, repetitae fuerunt, quaeque in Epistolis Zalvskianis *Tom. II. p. 749. seq.* exhibentur. Post electionem *Sigismundi* III. tres Episcopi, suo & aliorum

 Ar-

Archi-Epiſcoporum, omniumque, ſiue ex ſacro ſiue ciuili Ordine, ſecumfacientium nomine, paci diſſidentium & Regio in eandem iuriiurando ſingulari ſcripto oblocuti, cuius capita exhibet Illuſtriſſ. Regni Referendar. IOSEPH ANDR. ZALVSKI in libro quem inſcripſit: *Dwa miecze* (gladii duo) p. 70. 71. Et cum Rex ille, in templo Oliuenſis monaſterii, prope Gedanum, in pacta conuenta iuraret, Epiſcopus Cuiauienſis, nomine Romano-Catholicorum, paci inter diſſidentes iterum contradixit, at pro iis, qui diuerſae religionis, Przienius, regeſſit. HIST. PRVSS. *T. IV. p. 26.* Mortuo *Sigismundo III.* Confoederationi generali Archi-Epiſcopus Gnesnenſis cum Epiſcopis, ac illi, qui in Religione Romano-Catholica ardentiores, aut ſaluis iuribus Eccleſiae Romanae, aut excepto articulo Confoederationis ſubſcripſerunt, eo conſilio, vt vel plane auerſarentur inter diſſidentes pacem, aut interpretandi eandem ad ſuae Eccleſiae commodum, ſibi poteſtatem ſeruarent integram. Primum hoc fuit exemplum ſubſcriptae in religionis cauſſa, cum exceptione, confoederationis, quod ex illo tempore in conſuetudinem tranſiit. Lutherani contra & Reformati, per ſuas ſubſcriptiones, diſſidentium pacem integram ſeruare conati, quod primum factum in confoederatione ante electionem *Iohannis Caſimiri*, & poſtea repetitum fuit. Antea tamen queſti in Comitiis Electionis *Vladislai IV.* de inducta a Romano-Catholicis nouitate, conuenitque poſt longas & acres diſceptationes, vt in pactis conuentis noui Regis, paci diſſidentium verba adiicerentur: *non obſtantibus quibuscunque proteſtationibus, & ſaluis iuribus Eccleſiae Romano-Catholicae, integra tamen in omnibus diſſidentium in Religione Chriſtiana pace & ſecuritate.* PIASEC. *Chron. p. 448.* HIST. PRVSS. *T. VI. p. 12. 13.* PORZ. ELEK. *a. 1632. p. 11. §. a wteysamey.* Quae in pactis conuentis *Iohannis Caſimiri*, *Michaelis*, *Iohannis* III. & *Auguſti* II. repetita leguntur. Niſi quod in *Auguſti* II. pactis, Iuribus Eccleſiae Romano-Catholicae, *excepta & iura Ducatus Maſouiae & Liuoniae* nominatim iuncta, occurrunt. Nihilominus in pactorum conuentorum ſubſcriptionibus iurium Eccleſiae Romano-Catholicae, vt & pacis diſſidentium fit mentio, vt haec pariter & illa ſalua ſint, quaſi a priuatis roborandum eſſet, cui per ſollennem conuentionem inter Regem & Rempubl. proſpectum.

6 Integra illa pax & ſecuritas iam in prioribus pactis fuit promiſſa, vti modo dictum. Eſt autem pax & ſecuritas integra, vbi ob Religionem nemo turbatur, nemo poſſeſſionibus ſuis exuitur, aut dignitatibus caeterisque, quae per leges ſperare poteſt, arcetur. Vſi eadem vna cum Romano-Catholicis, qui Religionis erant diuerſae, neque obſtabat lex, quo minus vterentur. Fuerunt in Senatu, & in conclaui Nunciorum, geſſerunt publica munia, adhibiti quibusuis Reipubl. negotiis. Solet quidem a nonnullis obiici ſtatutum *Vladislai Iagellonis* nota (1) ad hunc §. memoratum, vt & Ordinum *Confoederatio Korczini* a. 1438. contra haereticos inita. LASCO *f. 76.* PRILVS. *p. 171.* HERBVRT. *tit. Haereticus.* Sed oſtenſum eadem nota (1) *Vladislai* Statutum, in Haereticos ex Bohemia, qui Huſſitae dicti, latum, quod & de Confoederatione Ordinum dicendum. Minime intelligendi Graeci, Lutherani & Reformati, quibus diſſidentium nomine in pactis aſſerta ſecuritas; Graeci enim ante Iagellonem fuerunt, promiſitque illis Religionis libertatem *Caſimirus M.* cum Regno iungeret, vt conſtat ex allegata nota 1. Lutherani vero & Reformati *Vladislai Iagellonis* tempore nondum exſtiterunt, qui ergo potuerunt eius lege coerceri? Quod ſi quis eosdem nihilominus ad haereticos referre velit, nae is Regi & Reipubl. aduerſatur, qui diſſidentium vocabulo non haereticorum vtuntur. Cum ergo a. 1658. in comitiis vox audiretur, haereticum per ſe eſſe infamem, neque in Nunciorum conclaui lo-

cum habere poſſe: ſtatim ſubiunxerunt Romano-Catholici, per haereticos ſolos intelligi Arrianos, non diſſidentes, quales eſſent Lutherani, Reformati & Graeci. HIST. PRVSS. *T. VII. p. 198.* De his Diſſidentibus, *Auguſtus II.* in pactis conuentis §. *W rozdawániu,* plane & aperte loquitur: in diſtributione dignitatum, ſellarum Senatoriarum & Capitaneatuum cum iurisdictione continuum vſum & antiquam praxin, a ſanctae memoriae, *Iohanne Caſimiro*, *Michaele*, *Iohanne III.* ſacroſancte obſeruatam, punctualiter retinere promittimus, exceptis Mennoniſtis, Anabaptiſtis, Quakeris, qui hoc iure, quod diſſidentibus in Religione Chriſtiana ſeruit, vti non debent: quin etiam omnia iura & ſtatuta, contra Arrianos lata, in eos reaſſumimus. Pacificatio poſt Tarnogrodienſem confoederationem, parum alias diſſidentibus fauens, non tamen iisdem viam ad dignitates praecludit, ſed id tantum art. 2. §. 6. Cancellariis iniungit, vt iisdem ſine praeiudicio Catholicorum gratias Regias ſigillent. CONST. *a. 1717. p. 13.* Quam indigne per vltimi Interregni confoederationem habiti, ſupra iam allatum. Verum reddita iis, per pacta conuenta, priori pace & ſecuritate, antiquum ius noua lege firmatum fuit.

§. V.

DE GRAECAE RELIGIONI ADDICTIS.

Et quod attinet, ad perſonas Graecae Religionis, vnitas & diſunitas [1], quidquid propter alia impedimenta, in praeſenti electione, locum nanciſci non potuit, hoc in comitiis futurae coronationis, iuxta iura antiqua vtriusque partis, in praeſentia Deputatorum ex vtroque ordine, ſine omnibus dilationibus & diſquiſitionibus, per Commiſſarios indilate pacificare, & ita coniunctim cum Republ. componere promittimus [2]: vt cuilibet in ſuis bene fundatis grauaminibus ius & ſatisfactio fiat. Bona & dignitates ſpirituales Graecae Religionis, perſonis incapacibus, iuxta iura antiqua non dabimus, nec per ceſſionem tenere permittemus. [3] Auulſa bona a metropoli Kiouienſi [4] iure belli non alienata, ad eandem metropolin ſpectantia, iuxta antiqua iura eidem adiungere promittimus [5].

1 Religio Graeca per vtramque Ruſſiam, rubram & albam, latiſſime olim diffundebatur, viguitque ibidem, antequam Regno iungeretur. Tempore *Sigismundi III.* orta magna diſſenſio, cum a. 1595. habito concilio, pars Eccleſiae Romano-Catholicae accederet, ac miſſis Romam Vlodomorienſi & Luceorienſi Epiſcopis, Summo Pontifici ſe ſubmitteret, atque in conſortium ſacrorum reciperetur; alii in diuerſitate Religionis manerent perſtarentque. PIASEC. *Chron. p. 138. 139. Litterae Cardin.* OSSATI *ex edit.* AMELOTII *T. I. p. 511. T. II. p. 11.* Ex hoc tempore duplici appellati Graeci nomine, vt, qui Romano-Catholicis iuncti, *vniti*, caeteri *disuniti* dicerentur, ſimul controuerſiae inter vtramqne partem infinitae, ac perpetuae de iurium laeſione quaerelae exortae ſunt. In primis

disuniti ab *vnitis* male ſe haberi affirmabant, quod fauore Romano-Catholicorum praeualerent. Tentatum ſaepius diſſidium hoc tollere, Graecos omnes ad vnam Romanam Eccleſiam redigendo, laudatque, vt caetera exempla taceamus, ſuum in hoc ſtudium & feruorem, *Michael* Rex, in litteris ad ſummum Pontificem datis: *pro vnione*, inquiens, *Ruſſorum Graecorum cum Latinis, quantum conſiliis & ferro etiam nunc laboretur, vel hoc argumento ſit, quod florentiſſimis & feraciſſimis Vkrainis terris, tot iam annis carere, quam vnionem Graeci ritus non retinere, leuius exiſtimemus, tractatum pacis, quem ſola vnitorum cauſſâ difficilem reddit, magno Reipubl. diſpendio & Regni periculo trahamus, vitam, fortunam, ſanguinem ciuium, pro defendenda re Chriſtiana, in aciem aleamque mittamus. Audeo ego adfirmare Sanctitati Veſtrae, ſi de protectione vnitorum vel paululum mittam, ſi Abbatias & templa ab vnitis recens recepta relinquam, ſi res diſunitorum ad eum ſtatum, quo ſub antiquis Regibus fuerunt, reuocem, plane merito pacem domeſticam cum Coſacis concludi & bellorum ab intra & extra tempeſtati obuiam iri poſſe. Ep.* ZALVSK. *T. I. p. 281.* Et inter cauſſas feralis illius belli Coſacici, ſub obitum *Vladislai IV.* orti, illatam diſunitis, ad quos pertinebant ipſi Coſaci, vim reperimus, & quum ſequenti anno ad Zborouum, pax parum tamen diuturna componeretur, ſingulari capite conuenit, vt immunitatibus Eccleſiae Orientalis Graeco-Ruſſae lege publica caueretur, & ne eius templa, *clerus*, ac bona *ſpiritualia*, ab *vnitis* inuaderentur. KOCHOV. *Annal. Clim. I. p. 25. 151.*

2 Actum de compoſitione inter vnitos & diſunitos, iam *Sigismundi III.* tempore, in Comitiis a. 1609. & cum non ſuccederet, in proxime futura dilata, vtrique tamen parti iniunctum, vt pacem ſeruet, conſtituta in turbatores decem millium florenorum mulcta. VOL. CONST. *p. 893. tit. Rel. Grecka.* Nihilominus haec compoſitio in diuerſa comitia fuit reiecta, vt patet ex Conſtitutionibus memorato *Sigismundo III.* regnante, non vno tempore ſancitis. Poſt illius mortem, in Comitiis Conuocationis, cum neque tum controuerſiae finiri poſſent, Rege Sueciae ac Poloniae Principe *Vladislao*, nonnullisque ex Senatu & equeſtri ordine mediis, capita transactionis conſcripta, quae vtriusque partis ablegati domum ad ſuos receperunt. CONFOED. GENER. *a. 1632. §. W. Religii Greckiey.* Haec cum habita haud fuerunt rata, alia in Comitiis Electionis propoſuit *Vladislaus*, ad quae pacem ſine mora tentaturum Idem in pactis conuentis ſpondebat: §. *A co ſię* & in Comitiis Coronationis, diploma Graecis non vnitis, pro certa in futuris Comitiis pacificatione, datum approbat. CONST. *p. 15. tit. Aſekuracya.* Inde a. 1635. in comitiis pax inter Graecos ad capita in electione Regia ſcripta conſtituitur, & vt obſeruetur, perpetua lege edicitur: ſimul omnes *proceſſus* & *litispendentiae* occaſione Religionis inter eos ortae, ſub mulcta a. 1609. conſtituta abolentur. CONST. *p. 11. tit. Rel. Grecka.* Sed turbata haec fuit pax non vno modo, vti ex CONST. a. 1641. patet, *p. 6. tit. Rel. Grecka*, quare poſt ſanctiones alias, noua lege a. 1647. decretum, CONSTIT. *p. 3. tit. Rel. Grecka*, vt omnia iura Ruſſis Graecae Religionis ſeruientia, ad capita in electione Regia ſcripta, executioni mandentur, *Commiſſariis* in hanc rem nominatis. Docet tamen CONFOEDERATIO GENERALIS *p. 4. §. Religia*, quae *Vladislai IV.* regnum excepit, non omnia ad normam memoratorum capitum fuiſſe redacta, ſed vt hoc fieret, & futuro Regi inter pacta conuenta commendaretur, Ordines non tantum edixerunt, verum & nouus Rex *Iohannes Caſimirus*, id ſe facturum, in pactis ſuis §. *A co ſię* fidem dedit. Exarſerat iam tum Coſacicum bellum, ſimul pro *diſunitis* geſtum, ſecutaque & a. 1658 *Commiſſio Hadiacenſis*, his admodum

dum

dum fauens, KOCHOV. *Annales Cl. II. p. 316.* CONST. *a. 1659. p. 51.* tamen a. 1668. in confoederatione generali, Ordines compoſitionem poſtulationum futuro Regnanti diligenter ſe commendaturos promiſerunt: & electus in Regem *Michael*, per pacta conuenta pollicitus, eandem in coronatione ſua, iuxta iura antiqua vtriusque partis, per Deputatos ex vtroque Ordine, ſine omnibus disquiſitionibus & dilationibus, efficere, & ad exſecutionem per *Commiſſarios* vtriusque gentis Deputatos, ſine procraſtinatione deducere. PORZ. ELEK. *a. 1669. p. 15. §. A co ſię.* Quod in pactis conuentis *Iohannis III.* & *Auguſti II.* repetitum.

3 Id primum inſertum pactis conuentis *Michaelis*, ex quibus in ſequentium Regum pacta translatum fuit.

4 Kiouiae, primis Religionis Chriſtianae in illo tractu initiis, fuiſſe Metropolitam, inſtitutumque ad Graecos ritus, a *Vlodimirio*, Ruſſiae Duce, circa finem ſaeculi X. cum ipſe eadem Sacra fuiſſet amplexus, vulgo perhibetur. WENGERSC. *Slauon. Ref. lib. IV. p. 457. 458. ibique allegata* NIESIECKIEGO *korona Polska p. 89.* Indicem illorum, qui hanc dignitatem ad noſtra vsque tempora geſſerunt, exhibet Reuerendus Pater *Nieſiecki*, in ſua *Corona Polonica l. cit.* qui ſimul docet, eosdem modo ſe ſummo Pontifici ſubmiſiſſe, modo ab eodem fuiſſe alienos, reditu tandem ad obſequium facto, iam in eodem perſtare. Per *Commiſſionem Hadiacenſem* antea allegatam, Metropolitae Kiouienſi, ab auctoritate Summi Pontificis licet alieno, in Senatu Regni locus poſt Archi-Epiſcopum Leopolienſem conceſſus, CONST. *a. 1659. p. 52. §. A ze wſpolney*, quod tamen in vſum deductum non eſt. Pactis Conuentis *Michaelis*, poſt Epiſcopos, ſubſcripſit *Gabriel Koleda*, Archi-Epiſcopus, Metropolita Kiouienſis, Halicienſis & totius Ruſſiae; cuius tamen nomen in Indice *Nieſiecii* haud reperitur. Inter ſuffragatores electi *Iohannis III.* ſub Palatinatu Polocenſi legitur *Cyprianus Zochowski*, Metropolita Kiouienſis, Halicienſis & totius Ruſſiae Archi-Epiſcopus Polocenſis. Cuius mentionem Nieſiecius tum inter Metropolitas Kiouienſes, tum Archi-Epiſcopos Polocenſes, ſed demum ad a. 1680. mentionem facit. KORONA POLSKA *p. 91. 92.*

5 Quae de bonis, Metropoli Kiouienſi reddendis, ſanciuntur, praeter haec, in ſolis Auguſti II. pactis exſtant. Et videntur intelligi bona, quae in manibus priuatorum haerent, a quibus eximuntur iure belli amiſſa, qualia ſunt, quae olim in ditionem Magnorum Principum Moſcuae venerunt, & quibus Rex Poloniae per ſolenne foedus a. 1686. ceſſit. Fuit inter eadem ipſa Kiouia, a qua Metropolis ſuum habet nomen, quod retinet, quamuis Metropolitanus extra eandem, in Regis Poloniae terris agit.

§. VI.

§. VI.

CONTRA MENNONISTAS, ANABAPTISTAS ET QVAKEROS.

Contra Mennoniſtas, Anabaptiſtas, Quakeros, qui ad ius disſidentibus in Religione Chriſtiana inſeruiens, pertinere non debent [1], omnia iura & ſtatuta contra Arrianos lata [2], reaſſumimus.

1 Mennoniſtae, Anabaptiſtae, & Quakeri, inter diſſidentes de Religione non fuerunt, qui a. 1573. ſibi mutuam pacem pacti. Venerunt ex Belgis & Anglia, feraciſſimis omnium Religionum Terris, Gedanum, inde per Pruſſiam ſparſi, commerciis, opificio, agriculturae intenti, procul a Republ. ſibi viuunt. Tolerati, neque in eos publica lata lex ante confoederationem generalem, poſt obitum *Iohannis III.* in qua Mennoniſtae & Quakeri a diſſidentibus expreſſe ſeiunguntur: forte Varmienſis Praeſulis conſilio, Nunciis ex Pruſſia annitentibus. Ille enim confoederationi, cum *proteſtatione* contra omnes ſectas, contra iura Regni, Terrarum Pruſſiae & pacta, ſeſe extendentes per Pruſſiam, ſubſcripſit: hi ſimili *proteſtatione* contra Mennoniſtas, Quakeros & nouos Sectarios vſi. Poſtea in pactis conuentis Regis *Auguſti II.* Mennoniſtae, Anabaptiſtae, & Quakeri, iuribus diſſidentium exemti, rigorique legum in Arrianos ſancitarum, ſubiecti. Secuti Pruſſi, qui ſuis ad Comitia Regni a. 1699. Nunciis mandarunt, vt omni zelo & ardore inſtarent, quo Mennoniſtae, Quakeri, quibus & Pietiſtae additi, iuxta confoederationem & pacta conuenta, poenis contra Arrianos ſubeſſent. Nec minus in vltima *Confoederatione*, in Quakeros, Mennoniſtas, & Anabaptiſtas olim ſtatuta roborantur.

2 Arriani, qui alias Sociniani dicuntur, primum experti rigorem legis an. 1658. cum in Comitiis, conſenſu Ordinum, ſtatuto *Vladislai Iagellonis de haereticis* ſubiicerentur, ſimul decerneretur, vt ſi quis illorum ſectam auderet profiteri, diſſeminare aut docere, aut illam illiusque aſſertores protegere & fouere, & eius rei legitime eſſet conuictus, is ex dicto ſtatuto, capite puniretur: Fautores autem eorum poena perduellionis, coram tribunali, inter cauſſas conſeruatas mixti fori, ad cuiusuis inſtantiam tenerentur. Per Regis tamen clementiam, illis, qui hanc ſectam eiurare nollent, ad diuendenda bona, triennium concedebatur, ſalua facultatum & perſonarum ſecuritate, atque debitorum repetitione: ita tamen, vt illo interuallo nemo exercitia ſectae ſuae peragere, aut muniis publicis ſe immiſcere poſſit, ſub poenis antea expreſſis. CONST. *a. 1658. p. 1. tit. Sektá Aryànska.* Quod autem ad allegatum in Conſtitutione ſtatutum *Vladislai Iagellonis* attinet, ſancitur in eodem, vt, quicunque in Regno Poloniae & Terris Regi ſubiectis, haereticus aut haereſi infectus, vel ſuſpectus de eadem, fautor vel director repertus fuerit, per Regios Capitaneos, Conſules ciuitatum, & alios officiales, aut quoslibet ſubditos Regios, ſiue in officiis ſiue extra viuentes, velut Regiae Maieſtatis offenſor capiatur, & iuxta exigentiam exceſſus ſui puniatur. LASCO *Stat. f. 75.* PRILVS. *Stat. p. 170.* HERBVRT. *Stat. tit. Haereticus &c.* Secuta a. 1659. noua in Arrianos conſtitutio, qua conceſſum illis antea triennium, ad duos annos, a decima Iulii a. 1658. numerando, redactum eſt, quod tamen Religionem Romano-Catholicam recepturis, nocere haud deberet. CONSTIT. *a. 1659. p. 1. tit. Declaracya.* Binae hae conſtitutiones, alia, a. 1661. firmatae ſunt, & vt

& vt executioni mandentur, magiſtratibus & iudiciis iniunctum. CONSTIT. *a. 1661. p. 1. tit. O Aryánách.* Anno ſequenti, noua lege declaratum, quod feminae omnes, CONSTIT. anni 1658. ſubeſſe, & contra maritos, Catholicam Religionem amplexos, ſi vxores in erroribus Arrianorum perſeuerantes retineant, famulas ſeruent, cum Doctoribus illius ſectae commercia habeant, & prolem in tali blasphemia inſtrui permittant, eandem Conſtitutionem, tanquam contra fautores Arrianorum, extendi debere &c. CONST. *a. 1662. p. 2. tit. O Aryánách.* Denique CONST. *a. 1670. p. 19. tit. Sekta Aryańska.* Praefectis Regiis executionem ſuperiorum legum, aduerſus eos, qui Arrianorum erroribus fauerint, ſine omni appellatione, mandat. His Arrianis poſtea, Mennoniſtae, Anabaptiſtae & Quakeri aequati, vti antea dictum fuit.

§. VII.

IVS AEQVALITATIS INTER CIVES REGNI.

Conſeruando praerogatiuam libertatis, ius aequalitatis inter conciues Regni [1], vti praecipuum fundamentum & decus primarium, imo matrem liberi ſtatus Equeſtris Ordinis, inter iura cardinalia iſtius Reipublicae tenebimus & obſeruabimus, neque illud, per vllas nomenclaturas familiarum ſcilicet, Comitatuum, Marchionatuum & titulorum Principum [2], deprimi & debilitari permittemus, ſed parem & in aequalitate viuentem omnem Nobilitatem, ſolo officio ex meritis parto diſtinguente [3] perſonas, cenſebimus, imo cauebimus, ne potentior fiat grauis minori [4].

1 Conciues Regni non alii ſunt, niſi Nobiles, minime oppidani, multo minus ruſtici. Et illi quidem, veri & ſoli Regni ciues dici poſſunt, quod ipſi ciuitate Polona, ac nemo alius praeter eos, vtuntur. Ad hos, Polona illa libertas, adeo celebrata, pertinet. Ex iis Senatus expletur, ac Nunciorum conclaue componitur. Ipſi de Republ. conſultant, leges ſanciunt, munia ſiue pacis, ſiue belli, obeunt. Soli dignitates, praefecturas, praedia, panem illum bene meritorum, recipiunt. Iidem ſibi Reges conſtituunt, probaruntque ſuperiori ſaeculo, poſſe eosdem & ex ſuo Ordine legi. Vt adeo multa, eaque praecipua habeant Poloni Equites, de quibus merito gloriari poſſint. Omnis tamen haec Nobilitas, natura eſt aequalis, quod omnes ex illa, ad eadem iura, in eandem ſpem naſcuntur. Tituli Principum, Marchionum, Comitum, quibus alii prae aliis inſigniuntur, vocabula ſunt, quae ſtatum non immutant, & qui illis gaudent, ſua, non alio, quam Nobilium iure, tenent. Neque Polonia alias Principum, alias Marchionum, alias Comitum, alias Equitum leges nouit; ſed omnibus vna Nobilium lex ſcripta eſt. Inde in Conclaui Nunciorum, *Czartoriscios*, *Sanguscones*, *Wiesniouicios*. *Radzivilios*, *Lubomirscios*, *Oſſolinios*, *Sapiehas*, *Zawiszas*, aliosque Principum & Comitum nominibus fulgentes, caeteris permixtos videmus. Nullum ibi inter modici agelli & paucorum iugerum, ac aliquot oppidorum multorumque vicorum Dominum, obſeruatur

ſeruatur diſcrimen. Praecedunt alii, alii ſequuntur, non ex titulis Familiarum, ſed ad Palatinatuum Terrarumque, ex quibus Nuncii miſſi, ordinem. Eadem in ſenatu ratio. Aſſignat loca, muneris non ſtemmatis dignitas. Et qui Senator, non Princeps, non Comes, praecedit Principem ac Comitem non-Senatorem. Haec aequalitas vt ſeruaretur, Nobilitati curae fuit, cautumque per CONSTITVTIONEM *anni 1638. p. 9. tit. O tytułach*, ne varietas titulorum aequalitatem Nobilitatis tollat, aut inaequalitatem natalium inducat, & vt nemo, ſiue antiquis titulis, exceptis, qui in *Vnione* Lituaniae approbati, vti, ſiue nouos ſibi expetere poſſit: quae Conſtitutio per aliam anno 1641 firmata eſt, CONST. *dicti anni p. 8. tit. O Tytułach*, addito: quod Lex illa titulis, quos *Vnio* Lituaniae, & *incorporatio* Palatinatuum, Kiouienſis, Volhynenſis & Braclauienſis probarunt, nocere haud debeat, ſed iidem ad mentem vnionis & incorporationis ſecundum antiquas conſuetudines integri ſeruentur, ſalua per omnia paritate & aequalitate iuris, poenae, conditionis & praeeminentiarum cum Nobilibus, ſic, vt Principes & Nobiles pro vno Statu Equeſtri habendi. Fortius inaequalitati Nobilium ex titulis, CONST. *a. 1673. p. 28. tit. Cudzoziemskich tytułow abrogacya* occurrit, dum externa illa Principum, Comitum, aliaque huius generis nomina abrogat, & iisdem vti, ſub poena perpetuae infamiae, foro, ad cuiusuis inſtantiam, coram Tribunali Regni aſſignato, interdicit, iis tamen exceptis, quos dicta *Vnio* Lituaniae & *incorporatio* memoratorum Palatinatuum, continent. Antea, ad ſeruandam illam aequalitatem, *Michael* Rex in pactis conuentis promiſerat, ſe conſanguineos ſuos eodem iure, quo reliquam Nobilitatem habiturum. PORZ. ELEK. *a. 1669. p. 23. §. Krewnych.* quod in pactis *Iohannis III.* iisdem verbis repetitum legitur. *Circa finem* PACTORVM *§. Krewnych.* Vt in hanc rem paene eadem *Auguſti II.* pacta exhibent, quibus Sereniſſimus FILIVS obſtringi voluit.

2 Sunt in Polonia Principes ſeu Duces, Marchiones, Comites. Quod ad Principes ſiue Duces attinet, fuerunt iam olim in Lituania, ac Terris Kiouiae & Volhyniae. In litteris enim, quibus hae a. 1569. Regno iunctae, Principum occurrit mentio, ac in iis, quae Lituaniae ſeruiunt, nominatim Principes *Oſtrogiae*, *Czartoriscii*, *Sanguſcones*, *Wiesniouecii* memorantur. VOL. CONST. *p. 170.* In illorum numerum referendi *Czetwertynscii*, ex quibus Michael Swatelpolk, Capitaneus Zyczinſenſis, Palatinatus Braclauienſis Nuncius, generali confoederationi vltimi Interregni ſubſcripſit. Neque omittendi *Radzivilii*, qui tum a *Maximiliano I.* tum a *Carolo V.* Caeſaribus, Principum dignitatem obtinuerunt, quibusque a. 1518. & 1550. ab Ordinibus permiſſum, vt titulo illo libere vterentur. KOIALOWICZ *Hiſt. Lit. Part. II. p. 374. 415.* HARTK. *Reſp. Pol. p. 584.* Hi, Principes publice appellantur, nomenque hoc in ſubſcriptionibus ſolennioribus apponunt. Sunt tamen & alii Principes, ad illud faſtigium a Caeſaribus, recentiori aetate euecti, ſcilicet *Lubomirscii*, *Oſſolinii*, *Sapiehae*, alii, qui, vt in publicis negotiis, quae intra Regnum fiunt, hoc nomine abſtinent, ſic neque recipiunt. Dantur denique alius generis Principes, vt Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, qui primus Princeps, Epiſcopus Cracouienſis, qui Dux Seueriae, & Praeſul Varmienſis, qui Sacri Romani Imperii Princeps, nominatur: quorum tituli non familiis, ſed dictis dignitatibus inhaerent, ac ad Succeſſores tranſeunt. Nouos tamen formauit Principatus, regnante *Iohanne III.* Epiſcopus Poſnanienſis, *Witwicki*, Principem *Slupuczenſem* & Ducem *Krobenſem* aut *Krolenſem* ſemet vocando; ZALVSK. *Ep. T. I. p. 1168. 1219.* ſed magnifica illa nomina, & dum erant, pro inanibus habita, cum Auctore ſuo extinguebantur. Marchionis titulus, initio ſuperioris ſaeculi *Myszkouiorum* domui acceſſit. HARTK. *Reſp.*

Reſp. Pol. p. 565. de quo idem tenendum, quod de Principibus recentioris aetatis diximus. Noſtro ſaeculo, a. 1703. *Auguſtus II.* hac dignitate Sauarolianam familiam, in Italia, exornauit; ZALVSK. *Ep. T. III. p. 500.* quod tamen illa ad Polonas gentes minime pertinet, vt inter Nobilitatem locum habeat, ad Marchiones in Polonia referri haud poteſt, Comitum longe maior numerus, a Caeſaribus hoc nomine inſigniti: praeter quos & aliis hic honor a priuatis habetur, vt Comitum nomine ſalutentur: quod autem cum caeteris, & huius tituli vſum, antea allegatae Conſtitutiones interdicunt, in publicis ſcriptis minus frequens occurrit.

3 Omnis ergo inter Nobiles ordo, ex dignitate munerum, neque aliunde auctoritas. Nulli & ad honores, eosque ſummos, praecluſus aditus, quod meritis patet.

4 Aequum eſt in Regno, vbi Maieſtas legibus ſubmittitur, priuatos coercere, ne potentia in aliorum iniuriam abutantur, & pietati Principis conuenit, prouidere, vt qui pares inter ſe, pari iure gaudeant.

§. VIII.

BONA HAEREDITARIA A REGE NON ACQVIRENDA.

Bona haereditaria nec per Nos, nec per ſubordinatas perſonas, neque in prolem Noſtram, neque pro Nobis Ipſis acquiremus. [1] Id quod pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris cauemus [2].

1 Leges Regni, ait PIASECIVS *Chron. p. 368.* & conſuetudinem aduerſari, quo minus Regia Domus bona haereditaria acquirat, idque eo conſilio cautum, ne Rex acquirendo fundos, ordini Nobilium addictos, potentiam ſuam augeret, Nobilium vero imminueret, ac antiquitatem manutenendae liberae electionis ſtudioſiorem, tanto diligentius id prohibuiſſe, ne Principes Eorumque filii, arces & loca munitiora, in confiniis Regni poſſiderent, in quibus congregato milite externo, ſub interregno, Regis noui electionem turbarent, vel repulſam paſſi, ad vicinos, vt Sileſii Duces olim, deficerent. IDEM refert, *Chr. l. c. & p. 421.* aegre tuliſſe Polonos, quod Regina, altera *Sigismundi III.* Coniux, Comitatum *Zyuiecenſem*, octo milliaribus Cracouia diſtantem, a Nicol. Komorouio, ſexingentis millibus florenorum emerat, neque commotos inde animos prius conſediſſe, quam a. 1631. per Conſtit. ſancitum, vt dictum Comitatum, eodem pretio quo emtus, tum Reipubl. tum priuatis redimere liceret: interea tamen per Praefectum Nobilem Polonum, iure bonorum Regiorum adminiſtraretur. CONST. *a. 1631. p. 3. tit. O Dobrách Zywieckich.* Simul alia lege in iisdem Comitiis, prohibitum, quo minus bona terreſtria haereditaria, ſiue modo donationis, ſiue emtionis, ſiue hypothecae, ſiue quouis obligationis aut aliquo alio iure, in poſterum ab aliis acquirantur, quam iis, qui ſplendore ſuarum perſonarum, ſuper alios haud eminentes, iuri terreſtri mere ſubſint, & per omnia, cum caeteris Regni incolis gaudeant aequalitate & paritate iuris & poenae: ſaluis iuribus Regiis, de iure caduco, inſcripto, donato, ita tamen, vt bona ad Regem his modis deuoluta, indigenis Nobilibus vtriusque gentis conferantur. CONST. *l. c. tit. O Dobrách Ziemskich.* Exſtat vetuſtius ſtatutum, de oppignoratis Reginae *Bonae*, poſteriori

Sigiſmundi I. vxori, caſtris, oppidis & villis, ne a Regni corpore auellantur, ſed vt caſtris, Poloni, indigenae, Nobiles, praeſint, & Regina, ac Regiae ſtirpis maſcula ſobole extincta, Nobilibus redimendi integra maneat facultas, & ſaluo interim, filiabus earumque ſucceſſoribus, ex bonis, prouentu. PRILVS. *Stat. p. 379.* HERB. *Stat. tit. Bona Regalia.* *Bonae* filia *Anna*, eademque *Stephani* vxor, ceſſit Reipubl. terris, matri olim oppignoratis, Marito conſentiente. SVLIKOVIVS *p.66.* VOL. CONST. *p.250. tit. Konſens.* Licet ergo leges & conſuetudo intercedant, quo minus Rex bona haereditaria acquirat, ſeruat tamen ea, quae habuit, cum ad faſtigium Regium eueheretur: ita tamen, vt bonorum illorum eadem, quae fuit, maneat natura. Quod exemplo *Iohannis III.* conſtare poteſt: qui in pactis conuentis ſe obſtrinxit, adminiſtratores ſuorum bonorum, tum haereditariorum, tum Regiorum, ad querelas de iniuriis ex iisdem illatis, in iudiciis quibusvis Regni, iuxta praeſcriptum legis reſpondere, & iudicatis ex qualitate facti aut cauſſae prolatis, ſub executione de bonis & perſonis eorundem ſatisfacere debere. PACTA CONV. *Ioh. III. §. Waruiemy.* Eidem *Iohanni III.* per CONSTITVTIONEM Anni 1676. *p. 24. tit. Staroſtwa*, conceſſum, vt Capitaneatus, ex antiquioribus Priuilegiis, ad dies vitae collatis, Ipſe & coniux, vsque ad Vtriusque obitum retinerent, quos tamen Nobiles Poloni poſſeſſiones habentes, procurare, quique in omnibus cauſſis, foro & iudiciis, exemplo aliorum, qui Reipubl. bona tenent, ſubeſſe deberent, Eccleſiae & Reipubl. iuribus, oneribus, Quarta & hibernis per omnia ſaluis.

2 Idem cauit in pactis ſuis *Auguſtus II.* Qui, cum Varſauiae Palatium, vt dicebatur, Morstynenſe, ac diuerſa ſuburbana, terrasque ad eadem pertinentes, ex ſuo aerario comparaſſet, vt pro ea, qua ſolebat magnificentia inſtrueret, Ordines, quo gratum in diuinum Regem teſtarent animum, in Comitiis Grodnenſibus a. 1726. CONST. *d. a. tit. Pałac Naſz Morſtynowski*, conſenſerunt, vt eadem omnia Rex legitime poſſideret, ac ad haeredes ex ſuo ſanguine, transmitteret.

§. IX.

IVSIVRANDVM REGVM ET PACTA CONVENTA, SINGVLIS COMITIIS, CORAM ORDINIBVS LEGENDA.

Iuramentum Noſtrum [1] & Pacta Conuenta ſummarie collecta, in quibusuis Comitiis prima die, loco articulorum Mareſchalcalium in praeſentia Senatus legi debent [2], qua lectione Pactorum Conuentorum, cuilibet Nunciorum liberum erit, notare exorbitantiam [3], ſi quae euenerit.

1 Iurant noui Reges Reipublicae, dum coronantur. Extat formula vetuſtior apud LASCONEM *Stat. f. 161.* PRILVSIVM *Stat. p. 20.* alios. Poſt *Sigismundum Auguſtum*, ſucceſſit alia, VOL. CONST. *p. 226.* eſtque iisdem verbis ſcripta, ad quam *Michael, Auguſtus II. & Auguſtus III.* fidem ſuam obſtrinxerunt, a qua caeterorum Regum aliquantum diuerſa. Spopondit autem SACRA REGIA MAIESTAS, „Se omnia iura, libertates, immunitates, priuilegia pu„blica & priuata, iuri communi vtriusque gentis, (Polonae & Lituanae) & liber-

„tatibus non contraria, per Reges & quoscunque Principes Regni Poloniae & M.
„D. Lituaniae, praeſertim vero Caſimirum M. & qui Ipſum exceperunt, iuſte
„& legitime data, ab omnibus Ordinibus tempore Interregni ſancita, Sibique ob-
„lata, tum pacta conuenta, per Ordines Regni & M. D. Lituaniae ſibi tradita, in
„omnibus conditionibus obſeruaturam; pacem & tranquillitatem inter Diſſiden-
„tes de Religione Chriſtiana tuituram; quae in Electione Regni conſtituta, aut
„in Comitiis Coronationis conſtituenda, haud violaturam, omnia illicite a Regno
„Magnoque D. L. & Dominiis eorundem quocunque modo alienata, vel bello,
„vel quouis modo diſtracta, ad proprietatem Eiusdem Regni Pol. & M. D. L. re-
„ducturam, terminosque Regni & M. D. L. non minuituram, ſed defenſuram &
„dilataturam; iuſtitiam omnibus incolis Regni, iuxta iura publica in omnibus
„Dominiis conſtituta, absque omnibus dilationibus & prorogationibus admini-
„ſtraturam, nullo quorumuis, etiam ſanguinis ſui, reſpectu habito; denique in
„diſpenſatione diſtributiuae iuſtitiae non ſe alligaturam ad affectum & propenſio-
„nem naturalem ſanguinis, ſed in disponendis occurrentibus officiis & beneficiis
„Reipubl. ſolam ipſam bene meritorum rationem, prae oculis & corde habituram.
„In fine additur: Et ſi, (quod abſit) in aliquibus iuramentum meum violauero,
„nullam mihi incolae Regni, omniumque Dominiorum vniuscuiusque Gentis,
„obedientiam praeſtare debebunt: imo ipſo facto, eos ab omni fide & obedien-
„tia Regi debita, ad mentem Conſtitutionum, in pactis conuentis expreſſarum,
„liberos facio, abſolutionemque nullam ab hoc meo iuramento, a quoquam pe-
„tam, neque vltro oblatam ſuſcipiam. Sic me Deus adiuuet, & haec ſancta
„Chriſti Euangelia.

2 Caput de iureiurando Regio, & pactis conuentis ſummarie collectis, in quibusuis Comitiis, primo ſtatim die, loco Mareſchalcalium articulorum, in praeſentia ſenatus legendis, primum PACTIS CONVENTIS *Michaelis* inſertum. §. *Przyśięga náſzá.* Iisdem verbis in *Iohannis III.* PACTIS repetitum, *Senatus* ſaltem *praeſentia*, in *omnium Ordinum*, mutata. §. *Przyśięga náſzá. Auguſti II.* adiectum eſt, „vt lectio clare, alta voce, diſtinctis verbis, nullum omittendo „punctum, fiat, & cuilibet libere dicere, ſi in aliquo a Rege *exorbitatum* fuerit, „Regemque praemonere conceſſum ſit. §. *Przyśięga náſzá.* Praeter id, quod hac de re, pacta Regum continent, iniungit & CONSTIT. a. 1690. *tit. Obiasnienie.* CONST. *p. 2.* Salutatione Regia a Nunciis peracta, pactorum conuentorum lectionem. Legem vſus firmat, aegreque latum, cum in Comitiis coronationis *Michaelis*, pacta conuenta lecta non fuiſſent. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 170.* Fieri tamen lectionem in ordinariis ſaltem comitiis, non in extraordinariis, duarum aut trium hebdomadum, docuit HARTKNOCHIVS *de Republ. Pol. L. II. c. 6. §. 13.* & exemplo probauit. Solet eadem & in Comitiis ex prorogatione, aut *limitatione* inſtitutis omitti, quod eadem cum prioribus, pro vnis habentur. Idem de Comitiis interregni tempore tenendum, Principe, qui pactis obſtringebatur, extincto. Per primam autem diem, lectioni pactorum aſſignatam, non ea eſt intelligenda, qua comitia inchoantur, ſed qua Nuncii Equeſtres cum ſuo Mareſchalco, primum Senatorum conclaue ingrediuntur. Tunc enim, Rege per Mareſchalcum ſalutato, dato Maieſtatis nomine Reſponſo, admiſſisque ad Regiae manus oſculum Nunciis, lectio fieri conſueuit, eamque Comitialis, vt vocatur, propoſitio excipere: quod & allegata CONST. a. 1690. innuit. Peragitur autem lectio a Referendario, aut alio Magiſtratu non Senatorii Ordinis, vt a. 1718. in Comitiis Grodnenſibus, *Secretario Maiori* M. D. Lituaniae, & a. 1724. in Varſauienſibus, a *Regente Cancellario* Regni. Id tantum ſeruat diſcrimen, vt, ſi intra Regnum ce-

lebrantur Comitia, hoc muneris a magiſtratu Polonico, ſi in Lituania, a Lituanico abſoluatur. Haec pactorum conuentorum, pro articulorum Mareſchalcalium lectione obtinet. Intelligitur vero per *articulos Mareſchalcales*, edictum iudiciorum Mareſchalcalium pro tranquillitate, mercandi libertate, & ſeruandis rerum venalium pretiis, comitiorum in primis tempore: quale edictum perpetuum CONST. a. 1678. inter SCITA LIT. *p. 22. & ſeq.* inſertum legitur. Antequam in Comitiis a. 1690. pacta C. legerentur, praefatus quaſi Mareſchalcus Regni, dicendo: „fuiſſe olim moris, vt articuli Mareſchalcales legerentur, qui cum in „volumen legum iam relati eſſent, ſe Ordines lectione eorundem morari nolle, „ſed quemque ad Conſtitutiones remittere. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 1162.*

3 Vſitatum hoc vocabulum Polonis, quo notant, diſceſſum eſſe ex legum orbita. Multus in primis interregni tempore, de exorbitantiis earumque medela, ſermo, obiectumque Regibus ſaepius, a pactis conuentis deflexiſſe. Frequentes illas querelas recenſere, nimis longum foret, & forte extra inſtituti noſtri orbitam.

§. X.

DE IVRAMENTIS ET PROMISSIONIBVS PRIVATIS.

Ne iuſtitia diſtributiua, occaſionem ambitui ciuium praebeat, circa collationem honorum & beneficiorum[1] a nemine vlla priuata iuramenta exigemus,[2] nec ſubmiſſiones ſubſcriptas[3] poſtulabimus. Et ſi alicui propter promotionem in Regnum, per Nos, vel per ſubordinatas perſonas, aliquid promiſerimus vel aſſecurauerimus, tam in Regno, quam in M. D. Lituaniae, & Prouinciis annexis, hoc debet eſſe nullitatis, neque vllatenus promiſſum adimplere tenebimur, ſub nullitate.

1 Eſt Regis, dignitates tum ſacras, tum ciuiles conferre. Recte hoc ius, ſoli Principi *Konarſcius*, Legationis ad *Henricum Andegauenſem*, princeps, aſſeruit. FREDRO *Hiſt. Henr. p. 97. edit. 2dae.* Fuſius PIASECIVS *Chron. p. 50. Rex*, inquiens, *ſupremus meritorum cuiusque & virtutum arbiter, omnes in Rep. magiſtratuum, officiorum titulos, qui ſunt innumeri, ac plurimi poteſtatis eminentia ſublimes, ſolus confert. Eccleſiaſtici quoque, Epiſcopatus, qui in illo Regno ſunt opulentiores, Abbatias, & alios dignitatum in Eccleſiis Pontificialibus potiores gradus, nonniſi fauore Regis adeunt. Et in eo Regiae auctoritatis neruus conſiſtit &c.* Hoc ſuo iure Princeps recte vtitur, omnemque ciuium ambitum longe arcet, quando vacua haec multorum generum munia, idoneis, & ad normam legum confert, de quo ad §. XVII. dicendi erit locus.

2 Iurant Regi, quibus honores & beneficia conferuntur, ſed publicum hoc eſt iusiurandum, quod in Reipubl. vſum praeſtatur. Diuerſum ab illo eſt priuatum, quo candidati ſe ad ſolius Regis, ſeu aulae, vt dici ſolet, commoda obſtringunt. Hoc Reges haud exigunt, & quo minus exigant, pacta vetant. Cum *Iohannis Caſimiri* tempore, Reginae in primis auſpiciis, noui Regis electio, Principe

licet

licet incolumi, agitaretur, placuit ad rem nouam & legibus contrariam, aulae addictiores inter alia ſecretiori ſacramento conſtringere, neque, dubitandum, promtos fuiſſe, qui dignitates captabant, cum hac via aditus pateret. KOCHOV. *Ann. Clim. III. p. 26.* Fruſtra quidem fuit omne hoc inceptum, ne tamen deinceps eiusmodi iusiurandum poſtularetur, prouiderunt Ordines in P. C. Michaelis §. *Zeby iuſtitia* repetieruntque iisdem fere verbis in ſequentibus.

3 Fiunt ſubmiſſiones, quando ii, qui nouos honores petunt, ſe Regis voluntati ita ſubmittunt, vt in Eius commoda, ſuum ſtudium & operam polliceantur, eſtque ſubſcripta ſubmiſſio, dum hoc ſuum promiſſum, nominis ſubſcriptione firmant. Dedit pariter huius rei exemplum *Iohannis Caſimiri* regnum, feruentibus de eligendo ſucceſſore conſiliis, dum conſcii non tantum certum Diploma a Rege reciperent, ſed & ipſi ſingulari ſcripto, Eidem viciſſim nonnulla in hanc rem promitterent. KOCHOVIVS *l. cit.*

§. XI.

DVO SVPREMA STATVS MINISTERIA NON VNI FAMILIAE, ET ABBATIAE AC DIGNITATES BENE MERITIS CONFERENDAE.

In vnam familiam duo miniſteria ſuprema Status, vti Clauas, Sigilla, Baculos Mareſchalcales, Theſaurariatus in Regno & M. D. Lituaniae, non conferemus[1]; nec Abbatias[2], Dignitates & Capitaneatus minorennibus, ſed ſolum bene meritis terrigenis, aetate & ratione vigentibus[3], ſaluis modernis poſſeſſoribus.

1 Habet tum Polonia, tum Lituania, ſuos Adminiſtros, eosque plurimos, non tamen omnes eiusdem dignitatis. Sunt enim alii Senatorii, alii Equeſtris Ordinis. Ad priores, vtriusque gentis Mareſchalci ſupremi & curiae, Magni Cancellarii & Procancellarii, vna cum ſupremis Theſaurariis referentur: poſterioribus, caeteri omnes, ipſique belli Duces annumerantur. Illorum munia merito ſuprema Status miniſteria dicuntur, quod ſupra reliqua eminent. Pacta iis adiiciunt clauas, quae inſignia exercituum Ducibus tribuuntur, forte ob Ducum illorum poteſtatem, quae tanta eſt, vt, ſi non ſuperant ſupremos illos Adminiſtros, minimum aequent. Saepius autem contigit, vt duo, imo plura eiusmodi miniſteria, eodem tempore, in vna eſſent familia. Ne altius rem repetamus, regnante *Sigismundo III.* Lituaniae ſupremus & curiae Mareſchalcatus, vt & ſuprema exercitus Lituanici praefectura, in *Radziuiliorum;* ſub Vladislao IV. Lituaniae vterque Mareſchalcatus, ſupremus Cancellariatus, & minor exercitus praefectura, in eadem domo; *Iohannis Caſimiri* tempore, eiusdem M. Ducatus, ſupremus Cancellariatus & exercitus minor praefectura, in *Paciorum;* Rege *Iohanne III.* vterque Regni Mareſchalcatus in *Lubomirſciorum;* Lituaniae Theſaurariatus, Mareſchalcatus curiae, & ſuprema exercitus praefectura, in *Sapieharum;* Cancellariatus vero vterque in *Radziuiliorum* gente ſimul fuerunt. Ne tamen in poſterum tanti honores in vnam familiam congererentur, cautum, primum in PACTIS CONVENTIS *Aug. II. Takie w ieden Dom*, quod in praeſentibus repetere placuit.

2 Ius

2 Ius nominandi Abbates, monachi Regibus non modo ambiguum reddere conati, ſed & plane negare ſuſtinuerunt, Curia Romana, ex ſuis rationibus illos fulciente. Iuuat, quae pro Regibus allegantur, in medium proferre. Affirmant iuris Regii vindices, „monachis, quamdiu ad regulas ſuas vitam egiſſent, permiſſam fuiſſe ſuorum Abbatum electionem, cum autem ab iis receſſiſſent, ac varia, „& Regno, & Religioni Orthodoxae moliri coepiſſent aduerſa, Reges, & quidem „a Caſimiro III. prouidendo publicae ſecuritati, & ne piae Maiorum ſuorum, ciuiumque fundationes labefactarentur, electionibus Abbatum manum admouiſſe, „easque primum ſtatutis circumſcribere, deinde ſuis nominationibus reſtringere „orſos, tum iure ſupremi Dominii, tum fundationis & dotationis, tum ſimili „aliorum Regum exemplo, nec minus praeiudicato, ab Electione Epiſcoporum „ob ſimiles cauſſas, Capitulo ademta, deſumto, denique priuilegio, ſeu conniuentia ſaltem ac tacita approbatione Sedis Appoſtolicae, quae maluerit Abbates „nominari a Regibus, quam eos cum Monachis, haereſibus, aliisque malis infici. „Et ſatis quidem modeſte Reges cum Monachis egiſſe, non plane eorum electionem tollendo, ſed quem nominaſſent, monachis per litteras commendando & „Subdelegatos mittendo, vt nominatum eligerent, poſtulaturos : Monachos non „minori reuerentia egiſſe, eligendo eum, quem Rex nominaſſet. Quodſi aliquando diuerſum elegiſſent, eum Reges adire Abbatiam haud paſſos, imo inde „per vim exturbaſſe. Nominaſſe autem Reges aliquando eos, qui eandem regulam „profeſſi, hancque nominationem proprie dici electionem, & tali modo electos, „a loci Ordinario ſacratos fuiſſe, ſine recurſu ad Sedem Apoſtolicam. Aliquando „Praelatos ſaeculares fuiſſe nominatos, habitum & profeſſionem illius ordinis aſſumere volentes, eandemque iure vocari poſtulationem, & tales non minus ordinarie, ſine recurſu ad S. Sedem, nouiciatu abſoluto, & facta profeſſione, a loci „Ordinario ſacratos, Abbatiam occupaſſe. Denique nominatos a Regibus Epiſcopos, ſeu alios Praelatos, in adminiſtratores perpetuos, ſeu commendatarios „Abbates, talesquecunque Abbatias, ſine prouiſione Apoſtolica per bullam, adiiſſe. Vladislaum Regem recenſuiſſe diplomate quodam, quas Abbatias profeſſis, quas profeſſandis, quas in commendam eſſet collocaturus. Sed & ipſum „& Eius ſucceſſorem Caſimirum, intra hos limites haud ſubſtitiſſe, ſed poteſtate „ſua vſos, Abbatias quascunque ſiue in titulum, ſiue in commendam, per ſuas nominationes contuliſſe, ſede Apoſtolica eas admittente, neque in bullis ſuis vllam „mentionem electionis monachorum, ſed tantum Regiae praeſentationis faciente. „Tempore Michaelis, priuatam inter Epiſcopos quosdam diſſenſionem, occaſionem dediſſe Curiae Romanae & Monachis, dubitandi de iure Patronatus Regio, „collata Andraecouienſi Abbatia Obcrouio Epiſcopo Culmenſi, vt magnae ipſi in „adeundo mouerentur difficultates. De hoc negotio poſtea Iohannem III. cum „ſummo Pontifice per diuerſos, ſed fruſtra egiſſe, expeditis interea nonnullis ad „Regiam nominationem, etiam in commendam, Abbatiis. Quo tamen omnis „tolleretur controuerſia, Eundem Regem a. 1585. per Doenhofium, Legatum „ſuum a Papa poſtulaſſe in perpetuum nominationem in commendam ad 15. variorum Ordinum Abbatias, quinque liberae electioni monachorum relictis: ſed „hos, quo minus id impetratum, omnibus viribus obſtitiſſe. Sequenti a. 1686. „Ciſtercienſes ſe Regi ſubmiſiſſe, vt ex 15. ſuarum Abbatiarum, ad quinque Rex „nominaret in commendam ſaeculares Praelatos, ad alias quinque pariter Saeculares Praelatos, ſed cum obligatione Profeſſionis, ad reliquas quinque, ipſi monachi, ſine Regia nominatione, ex medio ſui Abbates titulares eligerent: verum „omne illud ſuo caruiſſe ſucceſſu. Nec minus irritum fuiſſe, cum Pater Vota,

„S. I. a Rege a. 1692. Romam miſſus, a Papa Innocentio XII. impetraſſet, vt „omnes Abbatiae diuiderentur, in ſingulis binis Abbatibus, titulari altero, altero „commendatario, conſtitutis. *Epiſt.* Zal. *T. II. p. 780. & ſeq.* In his, regnante *Ioh.* III. lis de nominatione Abbatum Regia ſubſtitit. Poſt *Eius* obitum, Regium ius in conferendis Abbatiis, per P. Conventa *Auguſti II.* aſſerebatur. *§. cit. Tákże w ieden Dom. & §. Iura Patronatus.* quo & Const. a. 1699. *p. 48. tit. Ius Patronatus*, pertinet, vt omnes leges de Iure Patronatus latae, ſtatim poſt dicti anni Comitia, in executionem deducerentur. Nec omittenda legatio, Ordinum conſenſu a. 1726. ad S. Pontificem decreta, cui praeter alia & Abbatiarum negotium commendatum fuit. Const. *a. 1726. p. 7. tit. Poſelſtwo.* Abbatiae tamen, ne minorennibus dentur, pariter *Aug. II.* in ſuis Pactis cauit. *§. cit. Tákże.* Et longo ante tempore, anno ſcilicet 1550. *Sigismundus Auguſtus* ſtatuit, vt noui Abbates viri ſint idonei: Vol. Const. *p. 8. §. Aby.* quo legitima aetas innuitur. Sed non deſunt exempla Abbatiarum minorennibus collatarum, quorum nonnulla, quae *Iohannis Caſimiri* tempore exſtiterunt, Olſzouius, Culmenſis tum Epiſcopus & Regni Procancellarius, in Epiſtola ad Ottobonum, Eccleſiae Romanae Purpuratum, data, recenſet. *Epiſt.* Zal. *T. I. p. 87.*

3 De Dignitatibus & Capitaneatibus bene meritis &c. conferendis, infra ad §. XVII. agetur.

§. XII.

QVOT CAPITANEATVS ET TENVTAE VNI CONFERENDAE.

Similiter vni perſonae, vltra duos Capitaneatus boni prouentus [1], aut Tenutas inſignes [2], (quibus Capitaneatus cum iuriſdictione [3], includi non debent;) pariter feminis, vltra duos Capitaneatus boni prouentus, iure communicatiuo [4], exceptis Capitaneatibus limitaneis [5] & cum iuriſdictione, quorum poſſeſſionis ſecundum iura ſunt incapaces [6], tenere non erit permiſſum, ſaluis itidem modernis poſſeſſoribus [7]. Et vbi alicui dignitati, Capitaneatus aliquis Caſtrenſis annexus fuerit, alterum eiusmodi Capitaneatum, neque in hoc, neque in alio Palatinatu conferemus [8].

1 Capitaneatus & Tenutae, quarum hoc §pho mentio fit, appellantur vno nomine, bona Regia, vt & panis bene merentium, aut bene meritorum. Diuerſa ſunt ab Oeconomiis, bonis Eccleſiaſticis, terris Nobilium haereditariis, ac Ciuitatum fundis. Audiunt Regia bona, quod a Rege priuatis conferuntur, & bene merentium panis, quod bene de Republ. meritis merentibusque dantur, aut dari debent, vt illis, quaſi pane ſuſtententur. Neque Capitaneatus a Praefecturis diuerſi, quod Capitanei, arcium oppidorumque Regiorum ſunt Praefecti. Illorum numerus ſat magnus, qui in dies creſcit, dum Tenutis plurimis Capitaneatuum titulus imponitur, quod earum poſſeſſores, Tenutariorum nomen faſtidientes, Capitanei dici malunt. Quod ad fructus attinet, diuerſa eſt Capitaneatuum

conditio, dum aliorum ampliores, aliorum minores ſunt reditus, prioresque boni prouentus nominantur, quamuis Lex eosdem ad certam ſummam haud redigit. Eiusmodi Capitaneatus vltra duos vni conferre, primum per pacta *Auguſti II.* §. *Jedney zaś.* prohibitum, ſalua Regi, minorum redituum ſuperaddendi facultate.

2 In Pactis *Auguſti II.* leguntur Tenutae inſignes, poſterius vocabulum in praeſentibus omiſſum: vult tamen legis ratio, vt vel ſubintelligatur, vel exprimatur. Pertinent Tenutae pariter ad bona Regia, vt nota praecedenti monitum. Sunt tamen illae Capitaneatibus minores, neque arces & oppida, ſed vnum pluresque pagos complectuntur, habentque inde qui poſſident, Tenutariorum nomen. Id ipſis cum Capitaneatibus commune, quod aliae aliis ampliores, ex quibus inſignes intelliguntur, quae caeteras reditibus praeſtant.

3 Capitaneatuum alii ſunt cum iurisdictione, alii ſine iurisdictione. Priores dicuntur, quorum Capitanei iudicia exercent, poſteriores, quibus haec poteſtas non ineſt. Separantur illa a Capitaneatibus boni prouentus, & multo magis a Tenutis, quod Capitaneatus opimiorum redituum, ſine iurisdictione dantur, Tenutarii autem omnes iudicandi facultate carent. Hoc loco ideo in primis eorum fit mentio, ne Capitaneatus iurisdictionales, cum boni prouentus, & Tenutis inſignioribus confundantur, quod illorum vnus tantum, non duo, ab vno, haberi poteſt: idque ex CONST. a. 1562. quae duos poſſideri vetat, illisque, qui ſibi eosdem a Rege expetiiſſent, bonorum confiſcationem & mulctam ducentarum marcarum, coram quouis iudicio irrogat, addito, vt ſtatim ex illis vnum Capitaneatum dimittant. VOL. CONST. *p. 23. tit. O dwoyga.* Poſſunt ergo vni conferri duo Capitaneatus boni prouentus, non item cum Iurisdictione, ſed neceſſe eſt, vt alter illorum eadem deſtituatur.

4 Ius communicatiuum in Capitaneatibus & Tenutis eſt, quando ita conferuntur, vt vxor poſt mariti mortem, quamdiu ipſa vixerit, retineat, iisdemque fruatur; ſic enim poſſeſſio bonorum Regiorum cum vxore communicatur. Dicitur etiam aduitalitas vxori conceſſa, quod ius illud vsque ad vitae finem profertur. Iam autem a. 1662. ſingulari CONST. *p. 9. tit. O Dożywociách*, ſancitum eſt, ne vxores ſuperſtites, vltro duo bona Regia, ſiue ea Capitaneatus, ſiue Tenutae fuerint, poſſideant.

5 Vocantur limitanei Capitaneatus, qui in limitibus ſiti, vicinarum gentium prouincias tangunt, aut parum ab illis diſtant.

6 Feminas Capitaneatibus limitaneis, vt & iis, qui iurisdictione gaudent, leges Regni arcent. De limitaneis intelligenda CONST. *a. 1635. p. 26. tit. O Stároſtwách*, quae interdicit, in Capitaneatibus Vkrainenſibus, marito & vxori in ſolidum aduitalitates concedi. Illuſtrat eandem alia, anni ſcilicet 1647. *p. 34. tit. Deklárácya*, quod tantum de Kiouienſi intelligi, non ad Podoliae Palatinatum extendi, & ſi ibidem ratione eiusmodi aduitalitatum, proceſſus & decreta interceſſerint, irrita eſſe, nec ad executionem deduci debeant, ſub poena euocationis & refuſionis damnorum, in Tribunali Regni, inter cauſſas officii decernenda. Anno autem 1662 ſancitum, CONST. *dicti a. p. 9. tit. Dożywoćie*, ne feminae in Capitaneatibus limitaneis, non tantum Vkrainae, ſed & in Palatinatibus Ruſſiae & Podoliae, ius communicatiuum habeant, & licet aliquis eiusmodi aduitalitatem pro vxore ſua obtinuerit, vt illa nullius valoris ſit. Inde cum Helena Mianczynſcii vxor, in Capitaneatu Krzepicenſi, ius communicatiuum obtinuiſſet, irritum illud declaratum, quod Capitaneatus limitaneus eſſet. CONST. *a. 1678. p. 13. tit. Dożywoćie.* Ratio legis in promtu eſt, quia Capitaneis limitaneis incumbit, ſecuritati finium prouidere, cui minus idoneae habentur feminae. Neque iis ius dicere conceſſum, quod tamen Capitaneatus iurisdictionales exigunt. *Sigismundus III.* promiſit, VOL. CONST. *p. 529. tit. Stároſtwá*, Se Capitaneatus cum iurisdictione, pueris infra legitimam aetatem conſtitutis, non collaturum, ſed hominibus idoneis, de Rege & Republ. bene meritis: quo tacite feminae remouentur. Et CONST. *a. 1647. p. 34. tit. Deklárácya*, qua ius communicatiuum feminis in Palatinatu Podoliae conceditur, Capitaneatus cum iurisdictione nominatim excipiuntur.

7 Quae hactenus hoc §. illuſtrauimus verba, & in AVGVSTI II. pactis inueniuntur, praeter, quod Capitaneatus cum iurisdictione, quibus excluduntur feminae, omiſſi. Voces autem quae iam ſequuntur, primum praeſentibus acceſſerunt.

8 Eſt Capitaneatus Caſtrenſis, non alius, niſi cum iurisdictione, inde & iudicia caſtrenſia audiunt, quae Capitaneus, aut quae quis veluti Capitaneus exercet. Iunctus dicitur alii dignitati, quando Palatinus, aut alius Dignitarius, per hanc ſuam dignitatem, ſimul Capitaneus cum iurisdictione euadit: habetque id Pruſſia ſingulare, quod Capitaneatus Caſtrenſes & Palatinatus ſociati perpetuo, vt non alius ſit Capitaneus cum iurisdictione, quam loci Palatinus. Ne ergo talis Dignitarius alterum Caſtrenſem Capitaneatum expetat aut recipiat, eadem ſimul vetat lex, quae teneri ab vno duos cum iurisdictione Capitaneatus vetat. Rem exemplo illuſtrabimus. Melchior *Weiher*, Culmenſis Palatinus, in Comitiis a. 1631. in ius vocabatur, quod praeter Koualeuienſem, Palatinali dignitati iunctum, Valcenſem in maiori Pol. cum iurisdictione Capitaneatum poſſideret. Obiiciebatur eidem CONST. a. 1562. cuius poenam incurriſſet: Palatino contra allegante, Pruſſos Regni Conſtitutionibus haud teneri. Secuta Regis ſententia, qua datum *Weiheri* in Rempubl. meritis, vt Capitaneatum vtrumque retineret, ac poena, quam incurriſſe accuſabatur, immunis eſſet: addito tamen, ne in poſterum vllus Palatinorum Pruſſiae, praeter dignitati ſuae iunctum, Capitaneatum cum iurisdictione reciperet. HIST. PR. *T. V. p. 242. & 252.*

§. XIII.

DE ADVOCATIIS.

Hoc etiam promittimus, quod priuilegia, Capitaneis in Aduocatias [1], quae olim ſeorſum collatae fuerunt, non dabimus [2], neque plebeiis perſonis Tenutas concedemus [3], exceptis his plebeiis perſonis, quae meritis ab aliis diſtinguuntur.

1 Praeter Capitaneatus & Tenutas, *Aduocatiae* pariter bonis Regiis annumerantur: ſuntque poſſeſſiones, Capitaneatibus & Tenutis vulgo minores, niſi quod interdum ipſas Tenutas reditibus ſuperant. Ortae creduntur, cum Reges incultas terras priuatis concederent, vt ad agriculturam inſtruerentur, ac pagi in iis conderentur, data illis in nouos colonos iurisdictione, cum aliquot in vſum fructum iugeribus, ac aliis, quibus vterentur, conceſſis commodis. Ex iis aliae

 Capi-

Capitaneatibus olim iunctae, vt ſimul a loci Capitaneo teneantur, aliae Ciuitatibus a Rege in perpetuum conceſſae, aliae denique ſeorſum ſeruatae, ad vitae tempus conferuntur. De primi generis *Aduocatiis* a. 1607. ſancitum, VOL. CONST. *p. 838. tit. O Kádukách*, ne in poſterum Capitaneatibus iungantur, ſed vt tam in Regno, quam in M. D. Lituaniae, bene meritis cedant: quod a. 1620. repetitum. CONST. *dicti a. p. 6. tit. Nagroda, Aduocatiarum* Ciuitatibus datarum, in Conſtitutionibus paſſim fit mentio, in primis CONST. *a. 1662. p. 15. tit. Deklárácya*, Ciuitatibus & Oppidis lege publica *incorporatas* memorat. Vt tamen in dandis *Aduocatiis*, militum habeatur ratio, allegata CONST. a. 1620. prouidit, quam alia anni 1647. *tit. O Woytoſtwách p. 8.* firmat ac illuſtrat. Amplior tamen eſt lex anni 1662. qua cautum, vt Aduocatiae & Scultetiae ſolum militibus bene meritis conferantur, ſub nullitate priuilegiorum & eorundem reuocatione, ad inſtantiam cuiuslibet illorum, vtque militibus delatoribus illae cedant, ſalua tamen facultate, eas Regis conſenſu, aliis Nobilibus vendendi. Saltem excipiuntur Aduocatiae in Regiis *Oeconomiis*, & *reformationi*, vt Polonis dicitur, Reginae ſubiectae, *reformatione* durante, ſimul ciuitatibus & oppidis, lege publica incorporatae, nec minus quas Capitanei iurisdictionales, in commodum iurisdictionis ſuae tenent. Contra, *Aduocatiae* omnes, quas perſonae plebeiae habent, vacuae declarantur, & militibus bene meritis conferuntur: modo poſſeſſio non violenter, ſed legitima iuris via, in iudiciis Regiis capiatur, ſolutis antea ſummis & impenſis in Aduocatias factis. Denique ſeruat ſibi Rex Aduocatias 10, a Se, hominibus in ſuo miniſterio agentibus, conferendas. CONST. *a. 1662. p. 15. tit. Deklárácya.*

2 Eſt ſermo non de illis Aduocatiis, quae ita Capitaneatibus iunctae, vt ſimul cum his Capitaneis cedant, ſed de illis, quae licet in Capitaneatu ſitae, non tamen ſtatim cum illo fiunt Capitanei, verum aut a diuerſis, aut ſi a loci Capitaneo, ſingulari Regis diplomate haberi ſolitae. Eiusmodi Aduocatiae in poſterum Capitaneis loci haud concedendae, ne talis poſſeſſio, neceſſario ad Capitaneum ſucceſſorem transeat, ac Regia munificentia ad pauciores redigatur. Nihilominus poteſt Capitaneus, in alio Capitaneatu Aduocatiam obtinere, quod nullus inde metus, hanc ſuo Capitaneatui iunctum iri perpetuo, cum, quod ſita in diuerſo, potius diuerſa maneat.

3 Plebeii dicuntur, qui non ſunt Nobiles, talesque ad bona Regia non admitti, abunde conſtat. Edixit *Sigismundus Auguſtus*, ſe Capitaneatus & Tenutas Nobilibus collaturum. VOL. CONST. *p. 24.* Et *Sigismundus III.* omnia quaecunque vacua futura, equeſtris conditionis hominibus, ſe daturum promiſit. CONSTITVT. *a. 1631. p. 4. tit. O Wákáncyach.* Excipiuntur tamen in pactis plebeii, qui meritis praeſtant.

§. XIV.

§. XIV.

PALATINI CVLMENSIS REDITVS AVGENDI.

Et quoniam Palatinatus Culmenſis, ordine in Pruſſiae prouincia primus [1], admodum tenui, ex Capitaneatu Koualeuienſi, ipſi incorporato [2], gaudet prouentu [3], nulla ad alios Palatinatus Pruſſiae habita proportione, ita, vt ſine inſigni propriorum bonorum diminutione, publicis inuigilare curis non poſſit: ergo ſpondemus, Nos huic Palatinatui [4], ex primis in Palatinatu Culmenſi vacantibus, Capitaneatum aliquem, ſiue bonum aliquod Regale [5] addituros, & Capitaneatui Koualeuienſi eſſe incorporaturos [6]. Quod Ordines Regni in primis Comitiis, Conſtitutione approbabunt.

1 Pruſſiae pars, quae iuncta eſt Poloniae, tres habet Palatinatus, Culmenſem, Mariaeburgenſem & Pomeraniae: deſcripta olim in quatuor, cum ſaeculo XV. tota fere haec Prouincia, ſe Regi Poloniae vltro ſubieciſſet, addito caeteris Regimontano, & pro Mariaeburgenſi Elbingenſi inſtituto. Deſiit mox Regimontanus, cum tractum illum Equites Teutonici Ordinis reciperent, Elbingenſis vero Mariaeburgenſis dici coepit. Vt autem prima Palatinatuum ordinatione, Culmenſis praelatus caeteris, ſic perpetuo ſeruatum, vt Palatinus in Senatu Pruſſico, Epiſcopos Varmienſem & Culmenſem ſubſequatur, caeteros autem ciuilis Ordinis conſiliarii praecedat.

2 Koualeuienſis Capitaneatus, germanica lingua Schoenſeenſis, ſitus in Culmenſi Palatinatu, eſt caſtrenſis ſeu cum iurisdictione. Iungebatur is a. 1611. Palatinali dignitati in perpetuum, vt ipſum teneret Palatinus, ac reditibus frueretur. HIST. PRVSS. *T. V. p. 49.* CONST. *a. 1611. p. 31. tit. Księgi.*

3 Iam olim, & ſaepius, de tenui ex Capitaneatu Koualeuienſi prouentu, queſti Pruſſiae Ordines, & vt in gratiam Palatini Culmenſis aliunde augeretur, ad Regem preces detulerunt. In ſua ad Regni Comitia anni 1636. *inſtructione*, his vtuntur verbis: „Quoniam propter extenuatos Capitaneatus Koualeuienſis prouentus, Illuſtris Palatinus Culmenſis, neque brachium Regale decenter tueri, „neque Officialibus Caſtrenſibus ſufficienter prouidere poteſt: Domini Nuncii „noſtri vrgebunt, vt iurisdictio Caſtrenſis Brodniciam transferatur, is idemque „Capitaneatus Brodnicenſis pro iurisdictione Caſtrenſi Palatinali Culmenſi, poſt „mutatum ſtatum Regiae Principis, Palatino loci pro tempore exiſtenti, conferatur. HIST. PRVSS. *T. VI. Document. p. 61.* In alia *inſtructione* anni 1645. petunt iidem Ordines, „vt maiores Palatinatui Culmenſi, ob exiguitatem eorundem accedant prouentus, vtque auulſa ab eodem viciſſim reſtituantur, vtque Palatino, Capitaneatus Golubenſis vacuus conferatur. HIST. PRVSS. *l. c. p. 123.* Interregni tempore a. 1648. ſanxerunt Pruſſi, futuro Regi inter Pacta Conuenta referendum, „vt, quoniam Palatinatus Culmenſis ſeſſione quidem ſuperior, „prouentu vero omnium poſtremus, Is Capitaneatum Brodnicenſem in caſtrum „Culmenſe conuertat, ibidemque Iudicia Palatinalia & Vice-Palatinalia exerceantur,

„antur, Capitaneatus vero Koualeuiensis vti vacuus remaneat. HIST. PRVSS. *T. VII. Document. p. 10.* Fuit quidem haec res in pactis conuentis silentio transmissa, cum tamen eandem ad nouum Regem, statim post coronationem deferrent Prussi, promisit Is seorsum, Se Brodnicensem Capitaneatum, pro Koualeuiensi, dicto Palatino, post Supremi Regni Cancellarii, cui modo cesserat, mortem, collaturum. HIST. PRVSS. *T. VII. p. 46.* Obtinuit inde Capitaneatum Brodnicensem Palatinus Culmensis A. 1652. sic tamen, vt simul Koualeuiensem retineret, neque iunctus Palatinali dignitati, sed soli datus Palatino, post cuius mortem, ad Palatinos successores non transiit, qui solum Koualeuiensem Capitaneatum receperunt.

4 Hoc est, huius Palatinatus dignitati Palatinali, quo Palatinis noua accessio obtingat.

5 Tenutam scilicet.

6 Inde nouum Capitaneatum vel Tenutam, Palatinus vna cum Koualeuiensi Capitaneatu tenebit.

§. XV.

NON DVOBVS IN VNVM MVNVS REGIA DIPLOMATA DANDA.

Et hoc cauemus, quod duo priuilegia [1], in vnum munus & vacans in Regno & M. D. Lituaniae & annexis prouinciis nemini dabimus, neque ante actualem ascensum, neque post certa fata [2] conferemus: quare vna cum altera Cancellaria [3] in Regno & M. D. Lituaniae, collata priuilegia, propter informationem communicare debet.

1 Sunt priuilegia, diplomata Regia, quibus dignitates & munia conferuntur. Saepius contigit, vt in vnum munus, diuersis, diuersa diplomata traderentur, quod tamen non Principi, sed iis, qui scribunt ac sigillo muniunt, imputandum videtur. Fuerunt & Regibus publicae rationes, quae interdum permouerunt, honorem per diploma vni datum, alteri per aliud concedere. Anno 1613. decretum, quod si diuersa priuilegia in eandem rem impetrarentur, posteriora prioribus derogare haud deberent. CONST. *a. 1613. p. 10. tit. Przywileie ná Przywileie.* Cum *Iohannis Casimiri* tempore, foederatus miles varias proferret querelas, non siluit vtriusque gentis Cancellaria, „quod plura super vno bene-„ficio extraderent priuilegia. Ad quod responsum: esse competitorum aut scribarum errorem, sed facile corrigendum, si posterius priuilegium priori cederet. KOCHOV. *Ann. Clim. III. p. 18. 19.* In PACTIS tamen CONVENTIS *Michaelis, Iohannis III. §. Wtym się* & *Augusti II. §. Waruiemy*, cautum, ne in vnum vacans duo dentur priuilegia, adiecto in posterioribus: „vt singula priuilegia in acta me-„trices Regni referantur, & vtriusque gentis Cancellariae eadem secum commu-„nicent. Denique TRACTATVS VARSAVIENSIS an. 1717. Cancellariis iniungit, „diligentem secum habere communicationem, ne priuilegia, super „vnum idemque munus, duabus personis extradantur, videlicet vnum ex maiori, alterum

„alterum ex minori Cancellaria Regni vel M. D. Lituaniae, ad euitandas clades „domesticas & scissiones per Palatinatus, cui malo occurrendo cautum, vt priui-„legia in maiori Cancellaria sigillata, ad acta metrices Cancellariae minoris, & „contra, per oblatam porrigantur, & ibidem acceptentur. CONST. *a. 1717. p. 13.* Quo rem vno alteroque exemplo illustremus, recepit a. 1699. minus Lituaniae sigillum *Szczuka*, in quod, duobus Rex diplomata dederat subscripseratque: sed excusauit facile factum publica vtilitas, imo necessitas, quod nouus honor collatus dignissimo. *Epist.* ZALVSK. *T. II. p. 780.* Et a. 1702. obtinuit Princeps *Sangusko*, Mareschalcatum Curiae Lituanae, Pacio iam a Rege subscriptum ac sigillo munitum. *Epist.* ZAL. *T. III. p. 158.*

2 Est actualis ascensus, quando noua dignitas aditur, hoc antequam fiat, confertur eadem, imo collatum iri, saepius promitti solet. Certa autem fata dicuntur, quando certis auctoribus constat, vere obiisse eum, qui dignitatem gessit.

3 Binas esse in Regno & M. D. Lituaniae Cancellarias, supremam alteram, alteram minorem, seu Procancellariam, constat. Ex vtraque Regia diplomata, in noua munia prodeunt, seruato tantum inter Regni & Lituaniae Cancellarias, pro diuersitate Gentium & Prouinciarum, discrimine. Necesse inde est, vt suprema & minor Cancellaria, secum communicent, quae prodierint diplomata, ne per ignorantiam, ex diuersis diuersi eadem impetrent.

§. XVI.

DIGNITATIBVS SVA SERVANDA IVRA.

Dignitates & munia, tam in Regno, quam in M. D. Lituaniae, & annexis prouinciis, penes iura antiqua, iurisdictiones, consuetudines, & praescripta Regni [1], & in M. D. Lituaniae iuxta coaequationem & ordinationem [2] conseruabimus: praerogatiuas & prouentus illorum, nullo modo a quopiam minui & abrogari permittemus.

1 Iam *Ludouicus* Rex a. 1374. promisit, „Se dignitates Regni, ac omnia & „singula officia, in suis iuribus, prout tempore Vladislai aui, & Casimiri auunculi, fuissent, plenarie conseruaturum. LASC. *Stat. f. 41. p. 1. Vladislaus Iagello*, non minus spopondit, „dignitates ecclesiasticas & saeculares Regni Poloniae, „circa iura, & consuetudines ac libertates suas, quas temporibus Serenissimorum „Principum Dominorum Casimiri, Ludouici, & aliorum Regum ac Ducum hae-„redum Regni Poloniae obtinuissent, persistere & permanere debere. LASC. *f. 50. p. 1.* Pariter *Sigismundus Augustus* nihil Se in dignitatibus & officiis immutaturum, fidem dedit. VOL. CONST. *p. 4. §. Dostoieństw.* Inde *Articuli* in coronatione *Henrici* sanciti & a *Stephano* confirmati, magistratibus vtriusque Nationis suam auctoritatem integram seruarunt, VOL. CONST. *p. 255. §. Vrzędy*, quod post coronationem dicti Regis *Stephani*, in CONST. a. 1576. repetitum. VOL. CONST. *p. 277. §. Vrzędy.* Ratum & habuit *Sigismundus III.* cum in *Pactis Conuentis* memoratos *Articulos* reciperet, sequentes vero Reges, quisque in suis PACTIS fidem suam verbis expressis obstrinxerunt. *§. Vrzędy* & *§. Dygnitárstwá.* In hoc tamen *Augusti II.* a superiorum Regum pactis diuersa, quod praeter Regnum

gnum & Lituaniam, *annexarum prouinciarum* mentionem faciunt: caeteris Regnum & Lituaniam tantum memorantibus. Praeterea & in hoc Augufti II. ampliora, cum dignitatum & munerum antiqua iura & veram poteftatem, *iuxta vſum legum & formam Reipubl. ac ſpecialia iura* ſeruanda ftatuunt, reliquis tacentibus, praeter ſolius *Iohannis III.* Pacta, quae *vſum legum & formam Reipublicae* allegant. Et habent dignitates & magiftratus Regni, Lituaniae, ac iunctarum illis prouinciarum, ſua iura, neque omnes eodem modo exercentur, quae diuerſitas eiusque ratio, ex iure publico repetenda eft.

2 Coaequatio Lituanica, cum dignitatibus ac magiftratibus, tum aliis rebus Lituanos & Polonos aequat. Hanc tentatam olim, in comitiis electionis *Augufti II.* Lituani ſummo feruore vrſerunt, obtinueruntque. *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 339. ſ. 347. ſ. 364.* In ea Lituani fatentur, „Se conſenſu Reipubl. ad iura & conſuetudines, Regni transire, dantque omnibus in magno Ducatu iudiciis poteftatem, exemplo eorundem iurium Regni, poenas bannitionum, & alias quasuis „condemnationes, pro exigentia iuris & facti, decernendi, publicandi, executiones iniungendi & exequendi. Adhaec minifteria Clauarum Ducalium, Sigillorum, Baculorum Mareſchalcalium, Clauium Theſaurariorum, & eorum circumſcriptionem pariter, ſecundum Regni iura recipiunt; iudiciorum Tribunalitiorum & aliorum ſubſelliorum eandem cum Regno formam aſſumunt, ſolo vſu Statuti Lituanici, & iudicii *eccleſiaſtici* excepto. Cum *coaequatione* ſimul conftituta eft *ordinatio*, in qua praeſertim de Tribunali Lituanico, aliisque iudiciis, vt & actionibus *eccleſiaſticis*, nec minus de variis ad rem militarem pertinentibus ampliſſime agitur. Vtraque, cum *coaequatio*, tum *ordinatio*, ſeorſum prodiit, vtriusque & in PACTIS CONVENTIS *Augufti II.* §. *dignitarſtwa.* facta eft mentio, nec minus in comitiis coronationis a. 1697. firmata. CONST. *p. 14. tit. Approbatio.* Impugnata quidem fuit haec *coaequatio* a ſupremis Lituaniae Miniftris, quod auctoritatem ſuam circumſcribi aegre ferebant, quam caeteri eo ardentius tuebantur, quod paucorum poteftas grauior communi libertati videbatur, quam vt ferri poſſet. Probant id diuerſa Magni Ducatus ſcita, eo fine ſancita, vt *coaequatio* & *ordinatio*, eſſent perennes. *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 613. 717. 933. 935.*

§. XVII.

VACANTIA QVIBVS ET QVOMODO CONFERENDA.

Vacantia extra tempus Comitiorum [1], ad maximum, ſpatio ſex hebdomadum, a prima notitia Noſtra [2], & in Comitiis ante omnia conferemus [3], & cui collata fuerint, ftatim publicabimus [4], eademque [5] terrigenis [6], indigenis [7], paritate gaudentibus [8], bene meritis [9], aetate & discretione vigentibus [10], vtriusque Gentis & annexarum Prouinciarum [11], iuxta Iura & priuilegia diftribuemus.

1 Eft ſermo de conferendis dignitatibus, quando extra Comitia easdem vacare contingit: & poſſet quaeri, vtrum intelligantur omnes, an aliquae excipi debeant. De Cancellariis enim, nonniſi in Comitiis creandis, notum eft vetus Statutum *Alexandri Regis*, docetque vſus, Sigilla tum Regni, tum Lituaniae, interdum

dum quidem extra Comitia, plerumque illis durantibus, ceſſiſſe aliis. De exercituum vero Ducibus ſupremis & minoribus, *Tractatu Pacificationis* a. 1717. ſancitum, vt, „nonniſi in Comitiis, ad vota Senatorum, & inftantiam Nunciorum terreftrium, conftituantur. CONST. *a. 1717. p. 31.* Placuit tamen Ordinibus in „Comitiis Conuocationis a. 1733. decernere, vt, minifteria belli, niſi in primis „Comitiis, interueniente aliqua occaſione, potuerint conferri, ad ius Maieftati- „cum futuri Regnantis redeant, idque & de ſigillis, pro hac ſola, *quae legis ver-* „*ba ſunt*, vice intelligi debeat. CONFOED. GEN. *p. 16. §. 64.* Electo in Regni felicitatem *Augufto III.* alia, pro tuenda *Eius* Maieftate, ſucceſſit *Confoederatio*, quae, ſublata a. 1717. ſanctione, dictas praefecturas exercituum, intra ſex hebdomades, ex quo vacuae factae, conferri debere, ftatuit. *ſ. 16.* Secutus eft ergo ſenſum Reip. optimus *Princeps*, Sigilla & Clauas Ducales, Comitiis quidem indictis, ſed neque ad Mareſchalli electionem ſuccedentibus, digniſſimis conferendo.

2 Spatium, quo in vacuas dignitates ſufficiendi alii, olim haud erat definitum. Regnante *Sigismundo III.* in hanc rem a. 1588. ſex menſes conftituti, VOL. CONST. *p. 468. tit. O Wakáncyach*, qui primum in Pactis *Vladislai IV.* in totidem hebdomades immutari coeperunt, §. *Wakancye*, quod exemplum & in Pacta ſequentium Regum transiit. §. *Wakancye.*

3 Si ergo vacuae dignitates, ante Comitia non collatae, conferendae in Comitiis. Exftat Statutum *Sigismundi I.* apud PRIL. *p. 179.* vt officia & dignitates, in principio Conuentus, priusquam ipſe Conuentus generalis inchoetur, diftribuantur. Conftitutio a. 1576. de initio Comitiorum loquitur: VOL. CONST. *p. 280. tit. O dobrách*, alia a. 1588. illud intra octiduum, ex quo coeperunt Comitia, iniungit, hocque vrgendi Nunciis terreftribus facultatem concedit. VOL. CONST. *p. 468. tit. O Wakancye.* Idem repetit Conft. a. 1607. addito: ne Nuncii ad conſultationes comitiales accedant, priusquam hanc ſuam poftulationem obtinuerint, VOL. CONST. *p. 833. tit. O Wakancye, Vladislai IV.* & ſequentium Regum Pacta cauent, vt in Comitiis dignitates ante omnia diftribuantur. §. *Wakancye.* Denique Conftitutio a. 1690. ordinem Comitiorum deſcribens, admonitionem Nunciorum *Vacantium* nomine, poft lectionem SConſultorum locat. *tit. Obiáśnienie.* Inde Illi lectis SConſultis, antequam conclaue ſuum repetunt, Regem compellare ſolent, vt dignitates & magiftratus, ſi vacant, conferre dignetur, quo facto, in ſuo conclaui, vacua munia conſcribunt, & ſi quos Regiae indulgentiae commendare velint, expendunt: reuerſi vero ad Senatores, vt eorum ſententiis in *propoſitionem comitialem* interſint, ftatim *Vacantium* iterum mentionem iniiciunt, ſingula recenſent, ac quae eo faciunt, vti conuenere, exponunt: quibus peractis, dignitates conferri ſolent. In Comitiis coronationis *Michaelis* diſceptatum inter Nuncios, vtrum ftatim poft *propoſitionem* comitialem, an demum dictis in eam Senatorum ſententiis, vacuae dignitates in medium proferendae: & placuit, vt audita *propoſitione*, breuibus earum mentio fieret, accuratior vero flagitatio, in aliud tempus differretur: euenitque, vt priusquam dicerentur a Senatoribus ſententiae, Vacantium fieret diftributio. ZAWADZKI *Hiſt. arc. p. 65. 77.* Cum autem in Comitiis a. 1670. Ordini Equeftri, eam rem expetenti, reſponderetur: „deliberaturum Regem, quibus conferendae dignitates, in- „terim Nuncii ſententias Senatorum exciperent; hi, irritatis animis, ſuum Conclaue repetentes, vno quaſi ore affirmabant, „non Se auditiros Senatores, niſi „collatis antea dignitatibus: poſſe quidem aliquas vlteriori deliberationi ſeruari, „omnes autem, id neque legibus, neque conſuetudine eſſe conceſſum. ZAWADZKI *p. 108.*

4 Addunt ſuperiorum Regum Pacta §. citato, vt collatae dignitates per Cancellarios publicentur: quod & vſu obtinet, eo ſaltem diſcrimine, vt ſi Polonicae fuerint dignitates, illud a Regni, ſi Lituanicae, a Magni Ducatus Cancellariis praeſtetur: quod & de Prouinciis, Regno & Lituaniae iunctis, intelligendum. Quoties tamen ſimul Cancellariatus vterque confertur, aut Procancellarius locum magni Cancellarii aſcendit, aut magnus Cancellarius, Procancellario abſente creatur, nunciant nouum magiſtratum Mareſchalci, & pro diuerſitate Gentis, modo Regni, modo Lituaniae.

5 Quae a dignitatum Candidatis requiruntur, vt ſcilicet ſint terrigenae, indiginae &c. iuris ſunt vetuſtioris & perpetui. *Ludouicus* enim a. 1374. promiſit, „honores & dignitates, vtpote Palatinatus, Caſtellanatus, Iudicia & Succame„rariatus officia, & his ſimilia, quae vsque ad vitam conſeruari conſueuerint, ho„minibus extraneis, hoſpitibus, non collaturum; ſed talibus, qui ſint Regnicolae „terrarum eiusdem Regni, in quibus huiusmodi dignitates vel honores conſiſtant: „pariter nullum Baronem, Militem, ſeu Nobilem, vel alium quemcunque, cuiusque „conditionis exiſtat, extraneum, hoſpitem, ſeu alienigenam, praeterquam natione „Polonum, in Capitaneum praefecturum, niſi talem, qui ſub eadem corona de „Gente Polona ſit oriundus, dummodo non deſcendat de ſtirpe Ducali; nec vl„lum caſtrum ſeu fortalitium, alicui Duci vel Principi, aut deſcendenti de genere „Ducali, regendum & tenendum commiſſurum; denique caſtra & ciuitates, de „quibus honores & iudiciales ſedes procedant, nulli alteri, niſi terrigenis, ſeu Ca„pitaneis in eodem regno conſiſtentibus, permiſſurum. L a s c o *Stat. f. 41. p. 1.* „P r i l. *Stat. p. 175.* Pollicitus & *Vladislaus Iagello*, dignitates, ſi eas vacare „contigerit, nulli extraneo, terrigenae, niſi nobili bene merito, & fama lauda„biliter conſeruato, illius terrae, in qua dignitas & honor huiusmodi vacauerit; „inſuper nulli Ducum, & de Ducali ſtirpe deſcendenti, ſeu extraneo alienigenae „cuipiam aliquod caſtrum, fortalitium aut ciuitatem, ad regendum pro tempore, „vel in aeuum, daturum, aſſignaturum, aut quomodolibet collaturum. L a s c o *Stat f. 50. p. 2.* P r i l v s. *p. 175. 176.* Ad horum exemplum *Caſimirus Iagellonides*, edixit, filiusque *Ioannes Albertus* firmauit, „Dignitates, Caſtellanatus & Officia, „in terris vniuerſis Regni, perſonis bene meritis, aetate, intellectu & prudentia „bene vigentibus & indigenis, illiusque terrae indigenis, in qua dignitas vacaue„rit, quaeque ibidem bona haereditaria habuerint, datum iri. L a s c o *f. 92. p. 2.* P r i l v s. *p. 176.* Tempore *Alexandri*, Ordines, Rege abſente, in Comitiis Petricouienſibus, innitendo antiquo Statuto, ſanxerunt: „Dignitates & officia terre„ſtria, incolis tantummodo terrarum, poſſeſſionatis & idoneis, conferri, ſi ſecus „factum, non ſeruari, nec ei, cui dignitas vel officium contra praemiſſa, colla„tum fuerit, illud permitti, aut eidem obedientiam praeſtari debere. L a s c o. *f. 111. p. 2.* P r i l. *p. 176.* „Submiſit Se iisdem Statutis *Sigismundus I.* voluitque „officia & dignitates, hominibus idoneis, poſſeſſionatis, ſufficientem „poſſeſſionem haereditariam & non fictam habentibus, diſtribuere. P r i l. *178. 179.* Idem ius ſub *Sigism. Auguſto*, qui ſigillatim Caſtra & Tenutas noluit credere, niſi Polonis, nobili genealogia ortis, iisdemque poſſeſſionatis. P r i l. *p. 120.* In *Articulis Henrico* oblatis, & a *Stephano* ac *Sigismundo III.* probatis, Vacantia, aetate maturis, idoneis, bene meritis vtriusque Gentis, & non extraneis ſeruantur. V o l. C o n s t. *p. 255.* Huc & faciunt binae C o n s t. ſub memorato *Sigismundo III.* annorum 1607. V o l. C o n s t *p. 833. tit. O Wakancyach*, & 1631. *p. 4. tit. O Wakancyach*, quae ad dignitates ac magiſtratus, ſaltem bene meritos, aetate & diſcretione vigentes, terrigenas, indigenas, conditionis nobilitaris, aequa-

aequalitate iuris & poenae gaudentes, admittunt. Sequentium autem Regum Pacta Conuenta, de terrigenis, indigenis, paritate iuris gaudentibus, bene meritis, aetate & diſcretione vigentibus, ſecundum vetera iura & ſtatuta, ad dignitates euehendis, fere vno ore loquuntur. §. *Wakancye.*

6 Terrigenae dicuntur Nobiles, quod non in ciuitatibus, ſed in terris ſuis geniti, conuenitque vocabulum Polonorum, *Ziemiánin*, quo Nobilis, in agris ſibi viuens, intelligitur.

7 Indigenae opponuntur extraneis. Hi dignitatibus & magiſtratibus arcentur, illis ſolis ad eosdem patet aditus, vt ex nota (5) huius §. conſtat.

8 Paritate gaudentes ſunt iidem, qui in allegata Conſt. anni 1631. aequalitate iuris & poenae gaudentes dicuntur, aut quibus eadem cum Nobilibus conditio, vt iisdem legibus, iisdem iudiciis, iisdemque poenis ſubſint. Olim *Ludouicus* & *Vladislaus Iagello*, Se Duces, & qui e Ducum Polonorum ſtirpe deſcenderent, ad praefecturas caſtrorum haud admiſſuros, fidem dederant. Sub *Sigismundo III.* datus *Iohanni Alberto* Epiſcopatus Varmienſis, commouebat animos, quod Gentis libertati periculoſum videbatur, ſi tanta dignitas Regiae ſoboli cederet, hocque exemplum ad plures tranſiret. Exemit metum Rex, cum Se, ſaluo in contrarium Ordinum conſenſu, antiquis de Ducali genere iuribus, ſubmitteret, C o n s t i t. *a. 1631. p. 4. §. O Wákáncyach*, ac diplomate ad Archiuum Regni dato caueret, *Iohannem Albertum* filium, ſimul ad aetatem maturiorem veniret, fidem ſuam iureiurando Reipublicae obſtricturum. P i a s. *p. 421.* c o n s t. *d. a. p. 4. tit. Wármia.* Poſtea *Vladislaus* in P a c t i s ſuis C o n v e n t. §. *Naiaśniey-ſzych*, promiſit: „Se Principes Regios, fratres ſuos, quibus a Republ. aſſignati „reditus, in Comitiis coronationis inducturum, vt iuramentum fidelitatis Sibi & „Reipubl. praeſtent, eosdemque hoc vinculo, quamdiu dictos reditus percepturi, „& in Regno domicilium ſuum habituri, conſtrictos eſſe, & ſi aliqua cauſſa, per„ſonas eorum afficiens, obueniret, cognitionem ad Regem & Senatum in Comitiis „pertinere: *Iohannem* autem *Albertum*, iam nominatum Epiſcopum Cracouien„ſem, dicto in Comitiis coronationis ſacramento Senatorio, ac caeteris ab eodem „praeſtitis Conditionibus, locum ſuum in Senatu occupare debere. Qui *Ioh. Albertus*, in Comitiis coronationis, poſt iusiurandum in Senatum receptus, admisſusque ad Epiſcopatum Cracouienſem, ſcriptis, quibus eundem teneret, legibus, ne ſupra ciuilem conditionem ſe efferret. Idem Eodem regnante *Vladislao* ſeruatum, cum omnium Ordinum conſenſu, *Carolus Ferdinandus*, Princeps Regius, ac Regis frater, Epiſcopatum Plocenſem obtineret. C o n s t. *a. 1633. p. 19. & a. 1641. p. 4. tit. Conſens.* Quod ſi ergo aliquis ex ſtirpe Regia, Reipubl. muneribus admouendus, qua illa, ad Nobilium conditionem deſcendere debet, ne aequalitati derogetur.

9 Habentur enim dignitates & magiſtratus pro praemiis, bene de Rege & Republica meritorum, & qui tales, Regiae munificentiae a Nunciis terreſtribus in Comitiis commendari ſolent. Parum ergo honorificum erat *Sigismundi Auguſti* memoriae, cum Ipſi poſt mortem exprobraretur: Eum rabularum ac procuratorum ſordidum munus profeſſos, aliosque, quos leges in bene conſtituta Republ. ab honore arcerent, ac teſtimonium dicere vetarent, Senatorio Ordini adſcripſiſſe. *Praefat. T. II.* H i s t o r i a e N o s t r a e P r v s s. *p. 4.*

 to Ar-

10 Arcentur ergo minorennes, & qui rebus gerendis haud idonei. Quare & hoc nomine collatus Regio Principi *Iohanni Alberto*, Epifcopatus Varmienfis difplicebat; quod duodecim annorum puero datus.

11 Idem PACTA CONVENTA *Michaelis* loquuntur, repetuntque *Augusti II. §. Wakancya.* Idem iam olim lege prouifum, ac vfu feruatum fuit, vt Poloni, Lituani, Pruffi, Liuones, aliarumque Regni & Magni Ducatus Prouinciarum indigenae, dignitatibus & publicis muneribus admouerentur, dummodo bona terreftria poffiderent: quod ex nota (5) huius §. patet.

12 Iam olim obtinuit, vt dignitates fecundum iura & ftatuta, *Vid. Not. 5. ad hunc §.* feu iura & priuilegia, vt in CONSTITVTIONE *a. 1607.* VOL. CONST. *p. 833. tit. O Wakancyach*, & PACTIS *Augufti II. §. citato*, legitur, conferantur. Et non tantum intelliguntur iura communia, fed & quae fingulis Gentibus & Prouinciis propria. Illa iura & priuilegia, in Pruffia, folis illius Prouinciae indigenis, dignitates & publica munia afferunt; de quo fufius ad §. XXXIX. agetur. Eadem, oppidanos Capitaneatibus & Tenutis haud arcent, funtque in promtu fuperiorum temporum exempla; imo oppidanorum filios Epifcopatus obtinuiffe, faeculi decimi fexti hiftoria memorat. In Liuonia vero Poloni, Lituani, ipfique Liuones per vices dignitates obeunt. CONST. *a. 1677. p. 26. tit. Ordynacya.*

§. XVIII.

INCOMPATIBILIA.

Incompatibilia in iuribus defcripta, hoc eft, Marefchalcatus, Sigilla & Thefaurariatus cum Claua fimul non dabimus[1].

1 *Incompatibilium* nomine, veniunt dignitates, quae fimul ab vno teneri haud poffunt. Pertinent eo Archi-Epifcopatus maiores cum Sigillis, minifteria Senatorii Ordinis cum Palatinatu aut Caftellanatu, vt alia omittamus; quibus recentiori aetate, Praefecturae exercituum, cum quouis ex dictis minifteriis, acceflerunt. Eft enim huius §. mens, ne exercituum Praefecti, fiue fupremi, fiue campeftres, fimul fint, aut Marefchalci, aut Cancellarii, aut Thefaurarii. Id vero olim interdictum haud erat. Fuit fub *Stephano* & *Sigismundo III. Iohannes Zamoifcius* fimul Supremus exercituum Dux ac Magnus Regni Cancellarius; vtramque hanc dignitatem, fub eodem *Sigismundo III. Stan. Zolkieuius* geffit. Sub *Iohanne Cafimiro*, occurrunt *Georgius Lubomirski*, Dux campi & fupremus Regni Marefchalcus; *Iohannes Sobiescius*, primum minor, poftea fupremus exercitus Praefectus, fimul magnus Regni Marefchalcus; *Vincentius Gasieuius*, Lituanici exercitus Dux minor, ac fupremus Thefaurarius, & *Michael Radziuil* campi Dux & Procancellarius Lituaniae. Cum autem modum videretur excedere auctoritas, fi exercituum Duces, vna fupremi effent Miniftri, conuenit inter Ordines tempore electionis *Michaelis*, vt EXORBITANTIIS vulgo dictis, infererent, *tit. de Incompatibilibus*: „ne Rex in pofterum vna cum Claua Ducali, „Marefchalcatus, Cancellariatus & Thefaurariatus, cum in Regno, tum in Litua„nia, fub nullitate priuilegiorum conferat,„ fimul Cancellariis curam huius rei, fub poenis legum iniungerent, ac Nunciis terreftribus in Comitiis facultatem vrgendi concederent, vt eiusmodi priuilegia pro nullis haberentur. Ex quo tempore res illa, licet verbis diuerfis, in fequentium Regum PACTIS repetita, & quidem in *Michaelis*

Michaelis & *Iohannis III §. W tym śię*, in *Augufti II. §. Incompatibilia.* Quare, cum nuper Celfiffimi Principes, *Wiesnoviecius*, magnus Lituaniae Cancellarius, & *Radziuil*, Marefchalcus Curiae Lituanae, ille fupremam, hic minorem Lituani exercitus praefecturam reciperent, vterque antea priori munere ceffit.

§. XIX.

SIGILLVM CVBICVLARE. VSVS LATINAE ET POLONICAE LINGVAE.

Sigillo cubiculari & figno priuato[1], in negotiis & expeditionibus Reipublicae non vtemur[2], litteras omnes & legationes publicas, tantum lingua polonica & latina expediemus[3], Priuilegia aut Vniuerfalia, fub dictis figillis, etiam ex Senatus Confulto extradi non iubebimus, referuando id Cancellariis vtriusque Gentis[4].

1 Praeter figilla Regni & Lituaniae, eft figillum *cubiculare*, feu *camerale*, vt & priuatum. Cubiculare dicitur, quod Polonis *pokoiowy*, quo rem, ad cubiculum pertinentem, notant, audit: Germani appellant das Cammer-Siegel, quod & latine camerale redditur. Praefert illud Regni & Lituaniae infignia, cum Regis gentilitiis in medio pofitis. Vtitur eo Rex in ordinatione redituum, ac aliis rebus, quae ad bona menfae pertinent, tum iis, quae in folius Principis arbitrio funt, neque perpetuitatis vim habent. Cuftodia eius non eft penes Cancellarios, fed conclauis Notarium. Priuatum fignum eft Principis quafi domefticum, quo fignantur Litterae, ad exteros folius Regis nomine, in Ipfius faltem negotiis miffae.

2 Vfus figilli *cubicularis* & priuati iam in *Articulis Henrici*, a *Stephano* & *Sigismundo III.* confirmatis, interdicitur, quibus Rex fuo & Succefforum nomine promifit: „Se in negotiis, ad Rempublicam pertinentibus, tam intra quam extra „Regnum, nullo figneto, aut figillo priuato, fed figillis tantum Regni, quae penes „Cancellarios & Procancellarios, tam Regni, quam Lituaniae fint, vfurum. VOL. CONST. *p. 277. §. obiecuiemy.* PACTIS *Vladislai IV.* & fequentium Regum, eandem in rem fingulare caput infertum legitur, *§. pieczęći*, quibus CONSTITVTIONEM a. 1607. VOL. CONST. *p. 837. tit. O pieczęći*, & EXORBITANTIAS a. 1669. fcriptas, *tit. O pieczęći pokoiowey*, addimus. Illud memoratu dignum, quod *Iohanni III.* ob dilatam in alterum annum coronationem, permiffum, interea temporis, litteras vocatorias ad conuentus minores, tum litteras *reftium*, quibus in bellum excitur Nobilitas, nec minus litteras quasuis ad Principes exteros, Czaro Ruffico faltem excepto, denique nominationem noui Archiepifcopi Gnesnenfis, pro ea *fola vice*, non derogando in hoc generali iuri, figillo cubiculari fignare. PORZ. ELEK. *a. 1674. tit. Oznaymienie.* Neque reticendum, ex Ordinum fententia, factum Sigillum *camerale extraordinarium*, ab ordinario diuerfum, quod Procancellarius feruauit, quo iis imprimeret, quae alias Regni figillum praeferri folent. *Epift.* ZALVSK. *T. I. p. 635.*

3 Id cum vfu obtineret, lege eft firmatum, in EXORBITANTIIS fub electionem *Michaelis* l. c. repetitumque in Illius & caeterorum Regum Pactis §. pie-

§. *pieczęci*. Vtraque ergo lingua pro publica habetur, quod de nulla alia asseri potest, quare parum honorificum erat magno Lituaniae Cancellario, tempore *Iohannis III.* quod latine minus doctus. *Epist.* ZAL. *T. I. p. 989. 1008.* Licet tamen Regi in rebus priuatis, alio sermone vti, quod & allegatae EXORBITANTIAE l. c. concedunt.

4 Et in hoc praeiuerunt memoratae EXORBITANTIAE l. c. quarum auctoritatem Regum PACTA §. *pieczęci* secuta sunt. Ideo autem Priuilegia & Vniuersalia a Cancellariis signari iubentur, vt hi, qui legum custodes, prouideant, ne priuilegia iuri communi contraria exportentur, aut incolis per *Vniuersalia* imperentur, quibus per leges eximuntur. Sunt autem *Vniuersalia*, vt id in exterorum gratiam addamus, Regia Edicta, quibus, quae fieri debeant, in publicum perscribuntur, habentque hoc nomen, quod incipiunt *Vniuersis & singulis*. Id vero, quod hoc nomine prohibetur, Regi neque per Se, neque ex sententia Senatorum in aula degentium, facere integrum est. Fuerunt tamen de minus recto, sigilli cubicularis vsu, querelae, vt iam *Sigismundus III.* necesse habuerit affirmare, Se, in signandis tam litteris, quam diplomatibus, non aliis Sigillis, nisi quae fidei Cancellariorum credita essent, vti; LVBIENSCIVS *de Motu Ciuili Oper. p. 52.* simul antiquo iuri nouam Constitutionem addere, quam nota (2) allegauimus. *Vladislaus IV.* sub sigillo cubiculari nouum scribi militem edixit, at in sequentibus a. 1646. Comitiis, Idem Rex per CONSTIT. *Tit. O Zaciągu p. 2.* pro Se ac Successoribus, illud in posterum fieri haud debere sanxit. Regnante *Iohanne III.* Regia commendatio ad *Cardinalatum*, insciis Cancellariis, sigillo Camerae munita, Romam missa fuit. *Epist.* ZAL. *T. I. p. 633-635.*

§. XX.

THESAVRARIATVS MAGNI, CVI CONFERENDI.

Thesaurariatus magni, Regni & M. D. Lituaniae [1], vt in futuris Comitiis, per plus offerentiam conferantur [2], curabimus: quae res in Comitiis decidetur.

1 Notum est, binos in Regno & Magno Ducatu esse Thesaurarios, magnum alterum, alterum Curiae dictum.

2 Scilicet, vt magnus Thesaurariatus, cum Regni, tum Lituaniae, illi conferatur, qui plus caeteris, in aerarium, ex constitutis reditibus, illaturum se, promiserit. Tale quid, si recte meminimus, iam a. 1729. post mortem *Prebendouii*, Regni Thesaurarii, sermonibus ferebatur, docebuntque Regiae prouidentiae successum, futura Comitia.

§. XXI.

DE SERVANDIS FOEDERIBVS, ET COMPONENDIS CVM VICINIS CONTROVERSIIS.

Pacta & foedera cum externis Potentiis renouabimus, & conseruationem illorum procurabimus [1], tam sine vllo praeiudicio Reipublicae, & auulsione cuiuscunque Prouinciae [2], quam etiam sine vlla infractione & sinistra interpretatione, Tractatuum Pacis & Foederum, per quamcunque partem. Differentias cum vicinis Potentiis, coniunctim cum Republica [3], secundum aequitatem, amicabiliter quamprimum componere, & ad finem perducere studebimus.

1 Idem de Pactis & Foederibus, in superiorum Regum PACTIS CONVENTIS §. *Pacta & Foedera*, ex *Vladislai IV.* tempore, inuenitur: idemque antea in coronatione *Sigismundi III. a. 1588.* sancitum. VOL. CONSTITVT. *p. 457. tit. de Pactis.*

2 In PACTIS *Augusti II.* sine praeiudicio Reipublicae & auulsarum Prouinciarum legitur. §. *Pacta & Foedera*. Ne autem Pactorum conseruatio iuribus Reipublicae detrahat, aut cum imminutione finium Regni fiat, tum ex diplomatibus, quibus noui Reges Reipublicae iura firmant, tum ex formulis, quibus fidem, in coronatione sua, Regno obstringere solent, imo ex Ipsa Regni Poloni constitutione, facile colligi potest.

3 Lex est certa & perpetua, vt, quae ad Rempublicam pertinent, simul cum illa decernantur. Si quando ergo cum externis Principibus pax ineunda, si belli societas, si foedera alia sancienda, si de iuribus disceptandum, Ordinum consensu, Regis & Reipublicae nomine delegantur, qui vel ad certa mandata negotium perficiant, vel audita aduersae partis sententia, exceptisque rationibus, integram rem, ad Ordines in proximis Comitiis referant. Ne exempla passim obuia altius repetamus, ad CONSTIT. Comitiorum *Grodnensium a. 1726.* prouocamus, vbi, *Titulis Komissya*, longo ordine, nomina eorum, qui ad controuersias cum Principibus vicinis, ex Senatu & Equestri Ordine lecti, addita agendi facultate, recitantur. Ex iisdem pariter constabit, non frustra controuersias cum Externis memorari, cum variae cum Diuersis intercedant, quae ab illo tempore, post nouem annorum spatium, nondum compositae.

§. XXII.

VETERA CVM IMPERATORE PACTA REPETITA.

Compactata vero cum Sereniſſimo Imperatore [1], per Delegatos ex Conſtitutione Grodnenſi [2] a. 1726. anno praeterlapſo 1732. renouata [3], & ad ratificationem ad Comitia remiſſa [4], vt in futuris, Deo annuente, Comitiis concluſis, iuxta tenorem ſuum ratificentur, curabimus.

1 Sunt vetera pacta, eaque a decimo quinto ſaeculo, inter Romanos Imperatores, qui ſimul Auſtriae Archi-Duces, & inter Poloniae Reges, repetita ſaepius, ac ſubinde mutata. Agunt eadem de mutua amicitia; de commercandi libertate; de ferendis auxiliis; de facultate ſcribendi in terris alterius milites; de dirimendis finium nomine litibus; de hoſtibus & profugis non recipiendis aut fouendis; de inhibendis excurſionibus; de ſeruando iuſto monetae valore, ac ſale euehendo. Firmarunt antiquum foedus, nouis tabulis, *Leopoldus* Caeſar, & *Iohannes III.* Poloniae Rex, a. 1677. quas in Iure publico Poloniae exhibet CHWALKOVIVS *p. 256.*

2 Quo amicitia cum Caeſare per ſaeculum non vnum ſeruata, nouo aliquo vinculo conſtringeretur, nominati in dictis Comitiis, ex Senatu & Equeſtri Ordine, qui cum Imperatoris Legato eo nomine agerent, ita tamen, ne nouis conditionibus Rempublicam obſtringerent, ſalua in futuris Comitiis ad Ordines relatione, & ab iisdem approbatione. CONST. *dictorum Comit. tit. Komiſya z Ceſarzem IMćią.*

3 Illo enim anno, die ſcilicet tertia Nouembris, congreſſu cum magno Legato Caeſaris, Comite de *Vilczek*, Varſauiae in arce Regia inſtituto, per nouas tabulas, Pacta a. 1677. repetita ac firmata ſunt, capite ſaltem, quod de conſcribendo milite agit, excepto. Subſcripſerunt, cum Caeſaris magno Legato, Regni Primas, Epiſcopus Vladislauienſis, Palatinus Kiouiae, Supremus Regni Mareſchalcus, Regni Procancellarius, Regni Theſaurarius, Lituaniae Stabuli Praefectus, & Succamerarius Sochacenſis.

4 Subſcriptum enim eſt nouis tabulis, ſalua relatione, approbatione & ratificatione, tam Sacrae Caeſareae Regiaeque Catholicae Maieſtatis & Reipubl. in Comitiis generalibus proxime futuris.

§. XXIII.

REIPVBLICAE PACIFICATIO.

Similiter pacificationem Reipublicae, tam ab intra, quam ab extra [1], ſicut & euacuationem copiarum extranearum [2], ſine vlla ad Rempubl. praetenſione [3], coniunctim cum Ordinibus Regni, habentes prius ab Illis prouiſam ſecuritatem [4], quantocius procurabimus.

1 Turbatam grauiter fuiſſe Rempublicam, per Ordinum in electione Regia diſſenſionem, notum eſt, neque motus illos, quos ciuile bellum haud male diceres, recenſere noſtrum fert inſtitutum. Diuturnior tamen fuiſſet calamitas, ſimul funeſtior, ſi, quae aduerſa pars ſperabat, aliunde aduenifſent auxilia. Erat ergo remedium aduerſus externum bellum, aliena ope indigere: & inteſtinum AVGVSTI III. lenitas, ſalutariter compoſuit, dum ignoſcendo lapſis, omnes ad ſuam indulgentiam admitteret, imo vltro & ſaepius & liberaliter eam offerret, adeo, vt hoc quo ſcribimus tempore, armis poſitis, omnia iam ſint pacata, paucis illis, qui extra Regnum, rerum conuerſionem fruſtra ſpeculati, reuerſis aut reditum parantibus.

2 Cum plurimi ſeceſſionem facerent a Republ. iique pertractis in ſuas partes domeſticis copiis fere omnibus, externa pecunia iuuarentur, ac in dies aliunde validiora auxilia ſperarent, laboranti ſaluti, ingens in foederatos animi, Ruſſorum AVGVSTA ſubuenit. Electus in Regem AVGVSTVS III. iunxit ſuum exercitum, quo Regnum, ſibi per Ordinum ſuffragia delatum, tueretur ac ſeruaret. Vterque miles, Ruſſus & Saxo, copiarum externarum nomine venit, quarum maxima pars iam diſceſſit, paucae quae ſuperſunt legiones propediem ſequentur, incolis interea haud graues, hoſpitium ſaltem & commeatum ad neceſſitatem exigentes.

3 Exemit Ruſſorum AVGVSTA, fide non ſemel data, Reipublicae omnem metum, ac ſi ſumtuum in auxilia nomine, quicquam eſſet poſtulatura, vt inde nulla iam ſubeſſe poſſit ſollicitudo. *Rex* vero, qui ad Magni *Parentis* exemplum, ſuas opes in ciuium ſalutem effudit, gloriam ſeruati Regni, in ſummo pretio deputat.

4 Debebat haec ſecuritas prouideri, ſolenni more, in Comitiis, pacificationis vocatis. Indicebat illa Rex, ſuperiori a. 1735. ſed fruſtra, cum nonnulli, verſo ordine, poſt diſceſſum omnium copiarum, de Regia ſecuritate demum conſultare vellent, ac in ea ſententia perſtarent. Quare comitia, in ipſo limine, Mareſchallo ne quidem electo, ſoluta. Haud tamen ideo Maieſtas in ancipiti, tutam Eandem praeſtitit, confoederatio iterum repetita, aut potius amor ciuium, fidiſſima Principum cuſtodia.

§. XXIV.

AVVLSORVM RECVPERATIO.

Auulſorum recuperationem [1], data occaſione iuſta & legitima, curae habebimus; bella autem huius cauſſa, inconſulta Republica plena, cum nemine inchoabimus [2], ſed bono potius publico, vti ſummo, omnibus modis proſpiciemus.

1 Veniunt auulſorum titulo, ea omnia, quae vel bello, vel alio modo, Regno & M. D. ſubtracta, aliorum parent ditioni. Dicuntur alias in iure noſtro, amiſſa, iniuſte alienata, diſtracta. Ea recuperare, iam ſaeculo XIV. *Carolus* Hungariae Rex, *Ludouici* filii, deſignati in Regnum Poloniae Succeſſoris, nomine promiſerat, *Script. rerum Sileſ. Illuſt. de* SOMMERSBERG *T. II. p. 101.* ac ipſe filius in ſua coronatione. LASC. *Stat. f. 40. p. 2.* Idem vetus iurisiurandi Regii formula exigit, LASC. *Stat. f. 166. p. 2. §. pacta & foedera*, hacque licet mutata, Reges tamen eandem rem perpetuo iurarunt, ac in confirmationibus iurium repetierunt. Nec minus a *Vladislai IV.* tempore, PACTA CONVENTA de amiſſis aut auulſis recuperandis loquuntur. *Poparć. gener. Sendom. Konf. p. 7. Auguſtus II.* a. 1710. iterum promiſit, quicquid ex illicitis auulſis Reipubl. ereptum fuerit, illud omne eidem Reip. reddere.

2 Bellum inferre, ob quamcunque cauſſam, Republica haud conſulta, legibus vetitum. Exſtat vetus Statutum *Caſimiri IV.* quo Is pollicetur, ſe Terrigenis ad bellum moueri non mandaturum, absque conuentione communi in ſingulis Terris inſtituenda. LASCO *Stat. f. 95. p. 2.* HERBVRT. *Stat. tit. bellum.* Et *Iohannes Albertus*, Suo & Succeſſorum nomine ſtatuit, quod, quotiescunque expeditio bellica, neceſſitate quacunque expoſcente, indicenda eſſet, toties conuentiones particulares inſtitui deberent, ad conſulendum tum neceſſitati, tunc fortaſſe Regi & Reipubl. imminenti. LASC. *Stat. f. 105. p. 1.* HERBVRT. *Stat. tit. Bellum.* In *Articulis Henrico* oblatis, bellum ſine omnium Ordinum in comitiis conſenſu prohibetur: VOL. CONST. *p. 254.* quod in coronatione *Stephani* repetitum. VOL. CONST. *p. 275. Sigismundus III.* faſſus, ſibi non licere, ſine conſenſu & ſcitu omnium Ordinum, bella vicinis inferre. CONST. *a. 1611. tit. Poparčie p. 2.* Idem, ne inſcia Republ. & absque expreſſo Eius conſenſu fiat, *Vladislaus IV.* lege cauit perpetua, qua ſucceſſores omnes tenerentur. CONST. *a. 1638. p. 7. tit. O ſupplementach.* Accedunt PACTA CONVENTA §. *Woysk Cudzożiemskich*, a dicti modo *Vladislai IV.* tempore, ſi *Iohannis III.* pacta excipiuntur, in quibus caput de bello inferendo non legitur. In praeſentibus *plena* memoratur *Respublica*, qua omnes Ordines in Comitiis intelliguntur, ne ad recuperanda auulſa, bella ex Senatorum tantum conſilio inferantur. Notum eſt, quantam inuidiam Auguſto II. concitauerit, cum illum in finem inſcia tota Republica, non quidem bellum inferret Suecis, ſed iniurias, quas paſſam credebat Rempublicam, armis vindicaret. Suaſerant tamen, qui conſulti Senatores & miniſtri. *Laceſſiti*, inquit in publico edicto Rex, *occaſionem ſumſimus, illegitime auulſa, & pariter poſſeſſa repetendi, vi pactorum conuentorum, innixi Senatorum, Miniſtrorumque Regni conſilio. Epiſt.* ZAL. T. *III. p. 396. Memoires ſur les dern. revolutions de la Pologne.* Cum vero res infeliciter cederet, nonnulli ex ipſis conſultoribus, Optimum Principem, quod bona fide egerat, onerabant lacerabant-

rabantque. Adferamus in hac cauſſa graue teſtimonium, ipſis Magni *Auctoris* verbis ſeruatis. „Ad quaeſitum, vtrum Respublica Polona, intentiones Regis ſui „circa ineundum bellum adiuuerit; dictis tuis annuo & reſpondeo: directe non „adiuuiſſe, multos tamen non contraueniſſe, quosdam ſpe commodi alicuius pu„blici, alios peſſima intentione Regis aggreſſuri hoc bellum, vnde difficulter „extricare ſe poterit, ſunt alii qui obtentu conſcientiae & religionis praetextu „perſuaſum habent, Regem indispenſabiliter obligari per iuramentum ad recu„peranda auulſa, & cum Liuonia ſit vna ex Prouinciis a Polonia auulſis, libenter „eam Regno noſtro adiiceret, & quia Reſp. nollet incipere bellum, cuius alea „dubia, nec libenter offenderet illum Principem, cum quo pacem poſt amiſſam „hancce prouinciam inierat. Ideo multi in ſecreto conuenerant, vt Rex Polo„niae cum ſolis Saxonibus Liuoniam aggrederetur, nec Respublica in hoc bello „intereſſata appareret. *Epiſt.* ZALVSK. *T. III. p. 67.* Cauit poſtea a. 1710. *Auguſtus II.* ſe nullum nouum bellum quouis colore & praetextu, inſcia & inconſulta Republica inchoaturum. *Poparčie general. Sendomirsk. Konfederac. p. 7.* Denique in Tractatu Varſauienſi anni 1717. §. 6. Cancellariis Regni & Lituaniae iniungitur, vt diligentiſſime attendant, ne vnquam bellum offenſiuum inſcia & inconſulta Republ. inſtituatur.

§. XXV.

DE LEGATIS ET LEGATIONIBVS.

Legatos [1] & Reſidentes ad exteros Principes, tantum Nobiles, bene poſſeſſionatos, vtriusque Gentis [2], ex vtroque ordine [3] mittemus: quibus datae inſtructiones inter Senatusconſulta ſcribi [4], in Comitiis per Cancellarios noſtros legi [5], & poſtquam ex functionibus ſuis redierint, relationes illorum in comitiis ſcriptae reddi [6]: legationes quoque, ab externis Principibus ad Comitia, in praeſentia omnium Ordinum recipi, ad audientiam admitti & expediri debent [7], ſaluis extraordinariis, in vrgenti neceſſitate, caſibus, tunc non exſpectatis Comitiis, ad mentem praeſentis Conſilii [8], expedire nobis liberum erit.

1 Idem de legatis ad exteros mittendis, eorumque mandatis ac relationibus in PACTIS *Michaelis*, *Iohannis III.* & *Auguſti II.* habetur, §. *Toteż wáruiemy*, omiſſo tantum *Reſidentium* vocabulo, additis contra, „quod relationes legato„rum metricae inſeri, ipſique legati ad Ordinum poſtulationem iurare debeant, „ſe citra data ſibi ex Cancellaria mandata, cum exteris ad quos miſſi, nihil egiſſe„. In *Tractatu Varſavienſi a. 1717.* Cancellariis committitur prouidere, ne per ablegationes miniſtrorum Saxonicorum negotia Polonica, neque viciſſim per Polonos Saxonica agantur. CONST. *a. 1717. p. 11.*

2 Polonae & Lituanae, nec non Prouinciarum Gentibus illis iunctarum. Per CONST. *a. 1712. p. 5. tit. Legacye*, Legati ad exteros, terrigenae, poſſeſſionati Regni & Lituaniae mittendi.

 3 Senatorio

3 Senatorio & Equeſtri, vt habent Pacta Auguſti II. Fuitque vſus perpetui, vt modo Senatores, modo Equites, & ſi plures, ſimul Senatores & Equites, legati mitterentur, praeferri tamen ſolent Senatores, aut in honorem Principis ad quem mittuntur, aut ſi, quod curandum, maioris momenti videatur negotium.

4 Quod de illis *inſtructionibus* intelligendum, quae extra Comitia dantur, quae enim Comitiorum tempore ſcribuntur, ſtatim cum praeſentibus Ordinibus communicantur, niſi occultare easdem publica ratio iuſſerit.

5 Data a. 1719. extra Comitia Palatino Maſouiae, ad Ruſſorum Imperatorem magno legato, inſtructio, tradita fuit in ſequentibus Comitiis, Nunciorum Mareſchalco, ac in eorum conclaui lecta. Alias legi debent coram omnibus Ordinibus, in Senatorum Conclaui, vna cum Senatusconſultis, quae ex CONST. *a. 1690. tit. Obiásnienie p. 2.* poſt propoſitionem comitialem recitantur.

6 Allegata modo Conſtitutio definit tempus, quo de legationibus ad Ordines referendum: ſcilicet, poſt Senatorum ſententias in comitialem *propoſitionem*, nominatis ex Senatu ad ſcribendas conſtitutiones, excipiendas Theſaurariorum rationes, & luſtrandam rem armamentariam delegatis. De modo, addit eadem Conſtitutio, fieri id debere ſemotis arbitris, ac iure iurando peragi. Cum in Comitiis Grodnenſibus a. 1718. de Ruſſica legatione referretur, praemittebatur iusiurandum, omnia ex veritate memoratum iri. A. 1672. Palatinus Culmenſis, poſt relationem de Ruſſica legatione, ſurgens cum collegis, tacto pectore iurabat, nihil ſe citra inſtructionem ſibi a Rege & Republica datam egiſſe; cum vero illud iusiurandum Nunciis Terreſtribus minus ſolenne videretur, repeti illud debebat flexis genibus, in medio conclauis Senatorii, ad ſellam Senatoriam, cui Archiepiſcopi Gneſnenſis crux impoſita, verbis a Magno Lituaniae Cancellario, eam in rem conceptis, Gneſnenſi Archiepiſcopo & Epiſcopo Cuiauienſi adſtantibus. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 356. 357.* Recte autem fit illa relatio coram Ordinibus omnibus, quod ſcire omnium intereſt, quid actum conſtitutumque cum Principibus exteris, vt debent omnibus cognita eſſe mandata, quae legatis ad eosdem ſcribuntur. Inde firmatae legibus conſuetudini aduerſari creditum, cum a. 1670. de legatione in Senatus Conſilio referretur. *Epiſt.* ZAL. *T. I p. 239.*

7 De modo excipiendi dimittendique exterorum legatos, in Regum ſuperiorum Pactis, nihil reperitur.

8 Conſtituunt illud Senatores, qui ex lege, Regi adſunt, Reſidentes ad Eius latus vulgo dicti: quibus dimittendi legatos, iam olim *Articuli Henrico* oblati, facultatem conceſſerunt, ſi temporis & neceſſitatis ratio id exegerit. VOL. CONSTITVT. *p. 253.* Omne tamen illud, quod cum legatis actum, ſolet in ſequentibus Comitiis ad Ordines referri. Anno 1718. Grodnae coram Ordinibus, poſt *propoſitionem* comitialem, Secretarius maior Lituaniae, inter caetera Senatus conſulta, legebat colloquium cum Legato Ruſſico, de accelerando militis gentis ſuae ex Polonia diſceſſu, habitum.

§. XXVI.

§. XXVI.

LEGATIO AD PONTIFICEM. NOMINATIO AD CARDINALATVM.

Ad legationem Romanam perſonas ſaeculares non ſpirituales adhibebimus [1], & cum ius nominandi ſubiecta ad Cardinalatum habemus [2], hoc ipſum ius ſeruabimus.

1 Primum *Auguſtus II.* in PACTIS ſuis, ſacroſancte ſpopondit, ſe non perſonas ſpirituales, ſed ſaeculares, Romam legatos miſſurum. §. *To też waruiemy.* Et eſt forte, vt nobis quidem videtur, ratio, ne a legatis ſacri Ordinis, per reuerentiam, Summi Pontificis auctoritas ac Romanae Curiae commoda, iuribus Maieſtatis & Reipublicae praeferantur. Quare cum ad componendas, quae adhuc intercedunt, controuerſias, in Comitiis a. 1726. legatio Romam decerneretur, mandata eadem fuit, Palatino Lublinenſi, Iohanni Tarlo. CONST. *a. 1726. tit. Poſelſtwo.*

2 Habent hoc Reges Poloniae, cum caeteris Romano-Catholicae Religionis Regibus commune, vt nominare poſſint, quem a Summo Pontifice, ad dignitatem Cardinalitiam euehi velint. Defendit hoc ſuum ius, in primis Iohannes Caſimirus, cum nominationem Eius haud ratam haberet Pontifex, diluitque rationes, quae contra illam allegatae fuerant. „Auget dolorem noſtrum, *inquit* „*in litteris ad Cardinalem Vrſini*, vltra praecipitem & abruptam nouo exemplo „nominati noſtri excluſionem, quod curienſium ſermonibus iactari audiamus: „Regibus Polonis ius nominandi ad Cardinalatum non antiquitus competere, ſed „recenter quaeſitum, neque in vno Pontificatu bis vſurpari debere, atque vt no„minetur Nuncius Papae, aut aliquis deſtinatus a Pontifice, hic & non alius, ne„ceſſitate quadam Reges Poloniae obligari. De antiquitate iuris non eſt, quod „nimis certemus, cum enim ſenſim & recentius excreuerit Cardinalitia dignitas, „minor forte olim cura fuit Regibus aeque Polonis ac aliis, eorum promotioni„bus partes ſuas commodandi. Caeterum antiqua Maieſtate & magnitudine im„perii, pares omnibus Regibus Reges Poloniae fuerunt, nec veneratio Eorum er„ga ſedem Apoſtolicam ſincera, & religioſe demiſſa, illis praeiudicio ac noxae „priſcis Pontificum temporibus vertebat. Quodſi nouum ius in dubium voce„tur, procliue eſt deducere, aliqua iura a Pontificibus Romanis in Regno noſtro „nouiter quaeſita, & indulgenti Regum maiorum noſtrorum pietate, ad ſum„mum prouecta eſſe, quorum tamen vſui nihil detrahimus, nec ſanctius hacte„nus quidquam habuimus, quam pro adſerenda auctoritate Pontificia, & propu„gnanda Eccleſia Romana, non curam duntaxat & opes, ſed vitam ipſam deuo„vere. An vero tantum ſemel in vno Pontificatu, nominare ad Cardinalitiam „dignitatem debeamus, exemplis aliorum Regum decidendum permittimus, cum „neque plus & iuris & auctoritatis, quam alii Reges, poſtulemus. Reſtringi „vero noſtram nominationem ad Nuncios Apoſtolicos, vel ad perſonas a „Pontifice deſignatas, quid dignitatis nobis adferat? cum vel ipſa moderna „promotione Cardinalium in aperto ſit, Nuncios motu proprio Pontificio pro„moueri, alios Cardinales nominatione Regum ſeorſiue creari, imo anteactis „temporibus reſponſum fuit, Nuncios a Regibus Poloniae nominari non debere, „qui ex meritis ſuis ſolo beneplacito Pontificio prouehantur. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 6.*

Ad idem ius prouocauit *Iohannes III.* cum eius nominationem Pontifex neglexerat, *Epist.* ZAL. *T. I. p. 973. 976.* voluitque illud per manifestationem coram Regni tribunali adferere, simul litteris ad omnes Reges & Principes datis de iniuria queri; licet a feruore remitteret, cum molliora suaderentur, *Epist.* ZAL. *l. c. p. 992. 993.* satis vindicasse contemtum ratus, quod nouo Cardinali *Pallauicino*, Nuncio Apostolico in Polonia, transmissum *birettum* non imponeret. *Epist.* ZAL. *l. c. p. 1008.* Valuit tamen plerumque Regia nominatio, cui *Vindoboni*, *Bonsi*, *Furbin*, *Salerno*, alii, suam purpuram debent. Et excusauit *Alexandrum VII.* Papam, quod nominationi *Iohannis Casimiri* non attendisset, Successor *Clemens IX.* promisitque, vbi primum Principum commendationi locus detur, Se Regii Candidati rationem habiturum. *Epist.* ZAL. *l. c. p. 161.* Illud singulare, quod cum Principes caeteri ciues, Poloniae Reges per integrum saeculum, ex Reip. rationibus, *Epist.* ZAL. *l. c. p. 957.* non nisi exteros in Cardinalatum nominauerint. Creati quidem tempore Iohannis III. duo Poloni Cardinales, *Ioh. Casimirus Doenhof* & *Michael Radzeiovscius* tunc Episcopus Varmiensis, postea Regni Primas, sed vterque sine Regia nominatione. *Epist.* ZAL. *l. c. p. 992.* Caeterum ius Regium nominandi Cardinalem, primum praesentibus Pactis insertum, neque in superioribus reperitur.

§. XXVII.

CONTROVERSIAE CVM SVMMO PONTIFICE.

Instabimus quoque apud Beatissimum Patrem, vt controuersiae de iure Patronatus [1] & alia desideria Reipublicae [2] quantocius cum Curia Romana, cum nostra & Reipublicae satisfactione, per concordata finaliter terminentur & pacificentur [3]. In proximis autem, quae ad finem perducentur, Comitiis, cum Ordinibus Reipublicae, id enixe curabimus, vt ad satisfactionem Beatissimi Patris, Constitutionis Grodnensis, in Comitiis a. 1726. sancitae, fiat modificatio [4].

1 Est ius Patronatus, Regia potestas nominandi ad Episcopatus, Abbatias & alia sacra *beneficia*. Vt eadem Regi integra seruetur, iam per antiqua statuta, grauissimis poenis prouisum. *Iohannes Albertus* in Comitiis *Petricouiensibus* a. 1496. eos, qui derogando iuri Patronatus, beneficia ex quacunque caussa impetrauerint, publicatione bonorum & exilio puniendos sanxit, LASC. *Stat. f. 101. p. 2.* PRIL. *Stat. p. 95.* quam poenam *Alexander* in conuentu *Radomiensi* a. 1505. noua lege firmauit. LASCO *f. 117. p. 1.* PRIL. *p. 96.* Noluit & hoc ius imminui *Sigismundus Augustus*, VOL. CONST. *p. 4. §. A iżwiele*, aut Vladislaus IV. quenquam illius participem fieri. CONST. *a. 1641. p. 13. tit. Iura Patronatus.* Tempore *Michaelis* tamen in disceptationem venit, Monachis sibi Abbatum liberam electionem arrogantibus, & caussam hanc ad summum Pontificem deferentibus, cuius controuersiae historiam ad §. *XI.* (2) dedimus. Cauit inde primum in PACTIS suis §. *Iura Maiestatis*, *Iohannes III.* „Se iura Patronatus in „Episcopatus, Abbatias, & omnia sacra beneficia manu tenturum, Seque iis, qui „sine nominatione Regia, quocunque modo, dicta beneficia inuadere ausuri, ad „exemplum superiorum Regum oppositurum.„ Idem alio tempore affirmauit, malle Se omnibus, quam iure Patronatus spoliari. *Epist.* ZAL. *T. I. p. 682.* Plenius tamen ex litteris memorati Regis ad Cardinalem *Altieri a. 1684.* datis patet, quanto studio hoc suum ius asseruerit, & quam aegre tulerit, illud non vno modo infringi. „Mirari, *inquit*, profecto, & dolere satis non possumus, quod hactenus pacificum, & nunquam in dubium vocatum ius Patronatus Regum Poloniae, „nunc primum moderno Pontificatu infringatur, Abbates titulati, sine nomina„tione & praesentatione nostra intrudantur, nostri pro more & iure antiquissimo, „ad Abbatias nominati, diuersis modis, litigiis, sumtibus, cum summa indignita„te & praeiudicio vexentur, & beneficiis a nobis collatis excludantur, nostra„que auctoritas & commendationes Regiae frustra habeantur. Declaramus itaque „firmam & constantem mentem nostram, nos minime vnquam passuros, iura Pa„tronatus nostri, nobis de manibus extorqueri, neque permissuros, vt quisquam „Abbatiis in Regno Poloniae, sine nominatione nostra Regia praeficiatur. Ac„cepimus simul cum Sceptro, eam a Deo auctoritatem, vt exemplis Regum Po„loniae, Antecessorum nostrorum, (accedente etiam capitulatione cum Ordini„bus Regni, post euectionem nostram ad thronum Regium sollenni iuramento „nostro firmata) ad manutenenda iura Patronatus nostri, contra quoscunque con„vulsores obstringamur. *Epist.* ZAL. *T. I. p. 886.* Inter ea quae *Augustus II.* dum Regnum peteret, Reipublicae promisit, quaeque PACTIS CONVENTIS adiecta, eadem leguntur, §. *Iura Patronatus*, quibus Iohannes III. se Iura Patronatus tuiturum spoponderat: praeterea Is fidem dedit, curaturum se, vt a defuncto Rege nominati Abbates ad possessionem Abbatiarum perueniant. §. *A że Kontrowersya.* Sequentium vero Comitiorum, de iure Patronatus constitutionem, supra ad §. XI. (2) allegauimus. Nec minus in *Tractatu Varsauiensi* a. 1717. iura Patronatus curae Cancellariorum commendantur. CONST. *a. 1717. p. 11. §. Nikog.* Denique in Comitiis Grodnensibus a. 1726. constituebatur, „Summum Pontifi„cem per legatum rogare, ne iura Cardinalia Maiestatis & Reipublicae nec non „Patronatus, laedi permittat, sed vt praeiudicia & grauamina, quae tam a Reli„giosis in Abbatias irrumpentibus, quam ab aliis Spiritualibus, beneficia absque „praesentatione Regia vsurpantibus, inferuntur, auertere & tollere velit.„ Praeterea leges veteres pro Iure Patronatus repetebantur, addito, „vt poena violato„ribus citra veniam irrogetur, nemini Abbatias & alia beneficia sacra, Regiae „praesentationis, sine praesentatione illa & nominatione, possidere liceat, Mini„stri Status & exercituum Duces, iuris huius executioni attendant, hique ad „amouendos vsurpatores, quando necesse fuerit, militem suppeditent, ad coer„cendos, antiquis legibus & praesenti constitutioni refragantes, tum ad bona cum „praeiudicio Patronatus Regii vsurpata, occupanda, facta factis opponendo. CONST. *a. 1726. tit. Poselstwo.*

2 Recensentur illa desideria, in citata modo Constit. a. 1726. Queritur ibidem Respubl. de exactionibus in Cracouiensi & aliis Palatinatibus, ex summis reemtionis nomine solutis; de euocationibus caussarum ciuilium ad consistoria & Nunciaturam, per appellationes & inhibitiones, ac de abusibus Iurisdictionis Nunciaturae, internam quietem Regni perturbantibus. Postulat inde Respubl. vt Tribunal Nunciaturae, ad instar aliarum Nunciaturarum, quae in terris Principum catholicorum reperiuntur, circumscribatur, ac omnes eius abusus & exorbitantiae, cum summo grauamine & praeiudicio status saecularis & ecclesiastici, & in primis praerogatiuae legati nati abrogentur. His adiiciebatur: vt Nuncius Apostolicus reuocetur.

3 Decreta, vt paullo ante dictum, in Comitiis Grodnensibus, legatio, quae negotium illud perficeret, sed omissa, cum recepturum eam summus Pontifex negaret, nisi prius lata in Ipsum constitutio abrogaretur.

4 Molestissime hanc Constitutionem tulit *Benedictus XIII.* qui initio a. 1727. in binis ad Regem *breuibus*, & alio ad Poloniae Episcopos, de iniuria & Sanctitate sua parum reuerenter habita, grauiter questus, id etiam atque etiam exigens, vt Constitutio penitus tollatur. Non deerant rationes, quae pro aequitate sciti comitialis allegarentur, Rex tamen, qua erat in sacram sedem obseruantia, iurisdictionem Nunciaturae interdictam concedebat. Publica autem lege, summi Pontificis indignatio leniri haud poterat, Comitiis post a. 1726. dum viueret *Augustus II.* irritis.

§. XXVIII.

DE INDIGENATV ET NOBILITATE CONFERENDA.

Exteros aut quempiam alium, ex nostra persona [1], ad indigenatum [2], nobilitatem [3], haud promouebimus, sed tantum hos, quos Palatinatus vtriusque Gentis [4], aut Ministri Status [5] & Duces exercitus [6], sago & toga bene meritos [7] commendabunt. Recens autem creatis Nobilibus officia & beneficia ad tertiam progeniem non dabimus, neque legatos mittemus [8], exceptis iis, qui vita aut fortunis tuebuntur patriam [9], & qui ex antiquis familiis externis [10] recepti fuerint.

1 Non enim Rex solus, exteris, aut qui ab exteris in Polonia nati indigenatum, neque plebeiis ius Nobilitatis conferre potest. Iam olim Indigenatus consensu omnium Ordinum in Comitiis datus, exstatque in Constitutionibus a. 1588. Bathoreorum exemplum. VOL. CONST. *p. 485. tit. indygenaty.* Addit *Sigismundus III.* a. 1601. „quod petituri Indigenatum, Nobiles in conuentibus „particularibus ambire, ac per eorum nuncios in Comitiis commendari debeant. VOL. CONST. *p. 748. tit. Temruk.* Idem Rex a. 1607. sanxit, „quod omnes „indigenatus, ipso regnante, sine consensu Ordinum ex Cancellaria Regia traditi, „neque Constitutionibus inserti, in futuris Comitiis cognitioni Ordinum, sub „nullitate priuilegiorum exhibendi, ac in posterum nemini sine Ordinum in Co„mitiis consensu, ex Cancellaria Regia tradendi, & si traditi, pro irritis habendi sint. VOL. CONST. *p. 864. tit. de indigenatibus.* Sub Vladislao IV. a. 1641. indigenatum petentibus iniungitur, „in Comitiis primum sua merita in Rempubl. probare, „& deinde suam Nobilitatem autenticis documentis Principis sui haereditarii, vel „Reipubl. in qua natus probare, „ simul indigenatus quocunque modo obtenti, si in volumine legum post a. 1607. non reperiantur, pro nullis declarantur. CONST. *a. 1641. p. 11. tit. O indygenatach.* PACTIS Michaelis caput de indigenatu & nobilitate non a solo Rege conferendis, primum insertum, ac in sequentibus repetitum. §. *Cudzoziemcow ani.* De Nobilibus creandis sigillatim exstat Constitutio a. 1578. VOL. CONST. *p. 334. tit. Plebeiorum nobilitatio*, vt id nonnisi in Comitiis, Senatoribus conscios fiat, aut in exercitu, ob res fortiter & egregie gestas. Per CONSTITVTIONEM a. 1601. VOL. CONST. *p. 736. tit. O nowey*

nowey Szlachcie, ad Nobilitatem non admittendi, nisi qui Regi, ob egregia merita a Senatu & Nunciis Terrestribus, aut si milites, a Duce exercitus commendati fuerint. Et in allegata CONST. a. 1641. idem de Nobilitate, quod de Indigenatu dicitur, saltem in Comitiis omnium Ordinum consensu esse impetrandam: imo CONST. a. 1676, *in* CONST. LITVAN. *tit. Nobilitacye, p. 24.* exigit, vt nobilitatis pariter ac indigenatus Candidati, in Conuentibus Palatinatuum fauorem equestris Ordinis sibi concilient, quo ab eo Regi in Comitiis commendentur. Neque vsus a legibus diuersus est, dum in Constitutionibus Comitiorum, non tantum nouorum indigenarum, sed & eorum nomina, qui in iis Nobilitatem consecuti, leguntur. Potest quidem Rex solus per Rescriptum creare nobiles, at tales pro exteris habentur, neque ad iura Equitum Polonorum admittuntur.

2 Est indigenatus priuilegium, quo exteri, natis in Polonia nobilibus aequantur, vt pro Polonis habiti, ad eadem cum his iura admittantur. Merito illud magni momenti audit, quod non indigenae dignitatibus, muniis sacris & ciuilibus, Capitaneatibus, Tenutis, possessionibus arcentur; neque ea sibi vindicare possunt, quibus soli per natiuitatem Regni ciues gaudent. Id tamen tenendum, esse hic sermonem de Regni, & qui sub eo continetur Lituaniae indigenatu, non de Prussico. Prussi enim, vt in plurimis, suis agunt legibus, sic & diuersum a Regni habent & tuentur, indigenatum, vt Poloniae statim non sit Prussiae, licet Prussus Poloniae perpetuo censeatur indigena. Conferunt illi suum indigenatum exteris, imo Polonis & Lituanis vt exteris: non tamen Regni Ordinum consensu, sed saltem suo; non in Comitiis, sed in conuentibus suis generalibus; non ad commendationem Palatinatuum Poloniae & Lituaniae, sed Prussicorum; neque per constitutionem Regni, sed per Prouinciae laudum. Nonnulla quae rem hanc illustrabunt, ad §. XXXIX. adferentur.

3 Nobilitas confertur iis, qui a parentibus non habent, siue in Polonia nati, siue aliunde venerint.

4 Polonae ac Lituanae, & quidem per suos ad Comitia Nuncios, in quorum mandatis scribuntur illorum nomina, quos dignos indigenatu & nobilitate Palatinatus ducunt. Ipsi etiam Reges solent in suis ad conuentus antecomitiales instructionibus, Palatinatibus Candidatos commendare, quo suum consensum Nunciis committant. Nuncii vero in Comitiis in suo conclaui, indigenatu aut nobilitate ornandos, diligentius expendunt, & si nullus contradixerit, ad Regem deferunt.

5 Scilicet Mareschalli, Cancellarii & Thesaurarii: quorum tamen in hac caussa, superiorum Regum pacta mentionem faciunt nullam. Et illorum quidem, nec minus Ducum exercitus commendatio, parare ad Indigenatum vel nobilitatem possunt aditum, vt tamen impetrentur, Ordinum consensu opus est.

6 Haec Ducum exercitus commendatio solet in CONSTITVTIONIBVS Regni memorari, potestque inter caeteras exemplo esse GRODNENSIS anni 1726. *tit. Indygenaty y Nobilitacye.*

7 Vtriusque generis in Rempublicam merita in Constitutionibus memorantur. Interdum & pecuniae habetur ratio, nisi velis inter merita referre, nummos in publicum erogare. A. 1658. nobilitas pretio concessa fuit, KOCHOV. *Annal. Clim. II. p. 295.* laudanturque in CONSTITVTIONIBVS illius anni, *pag. 36. 37.*

36. 37. ex nouis indigenis & nobilibus nonnulli, quod notabiles fummas in publicam neceffitatem contulerint. Pruffi a. 1661. a fuis ad Comitia Nunciis effici volebant, vt qui nobilitatem peterent, minimum tricena millia florenorum in Reipublicae commodum, durantibus Comitiis conferrent. Caeterum in medio relinquimus Celfiffimi quondam *Principis & Epifcopi Varmienfis* iudicium, quafi nobilitas vile iam & promifcuum donum, quod non fanguine & ingentibus in Rempublicam meritis, fed potentiorum commendatione & pecunia etiam mancipia affequantur. *Epift.* Zalvsk. *T. I. p. 464.*

8 Noui ergo nobiles non ftatim iis, quibus veteres, iuribus gaudent, fed demum pronepotes ad ea admittuntur. Idem ftatuunt Pacta Michaelis, quod Iohannes III. ac Augufti II. *Cudzoziemcow* repetunt.

9 Hoc pariter in allegatis pactis prouifum. Quare interdum noui nobiles, ob fingularia merita, dum creantur, per legem ftatim veteribus aequari folent. A. 1676. Nobilitas nonnullis ita collata legitur, vt ad munia ac officia quaeuis fufcipienda & obeunda, vna cum prole vtriusque fexus, *ex nunc habiles & capaces fint, non obftante lege de nouis nobilibus.* Const. *a. 1676. p. 59. tit. Nobilitacya.* Et alius eodem anno nobilitatem recepit, vt iurium omnium quae Nobilibus feruiunt, *ex nunc habilis & capax fit. p. 61. tit. Nobilitat. Ad. Szuberta.* In Comitiis Grodnenfibus a. 1726. Iohannes Renard, collata in ipfum nobilitate, *capax bonorum & honorum ex nunc* declaratus, non obftantibus antiquis de Nobilitatione Conftitutionibus. Const. *a. 1726. tit. Nobilit. Iana Renarda.* Plura exempla in re manifefta cumulare fuperuacuum duximus.

10 Pacta Augufti II. *§. Cudzoziemcow*, addunt, *ad indigenatum*, vt fenfus verborum fit: poffe nouos indigenas ftatim ad dignitates euehi, & munia publica obire, fi ex antiquis familiis defcendant.

§. XXIX.

EXTRANEI AD REIPVBLICAE CONSILIA NON ADMITTENDI.

Extraneos cuiuscunque conditionis homines, ad confilia Reipublicae, aut ad vllas adminiftrationes & negotia haud admittemus, neque iis dignitates, Capitaneatus, Tenutas conferemus, ex praefcripto Conftitutionum a. 1607. & aliarum [1], ad quas in omnibus agere volumus: faluis domefticis noftris bene meritis, quoad collationem Aduocatiarum iuxta antiquas leges [2]. Neque vt fe inftantiis, negotiis, promotionibus, aut porrectioni chartarum ad fubfcribendum, immifceant, concedemus, fub vinculo iuramenti noftri [3].

1 Dictum ad §. XVII. (5) de extraneis ad dignitates & munia non admittendis. Praefens tamen caput, de illis extraneis figillatim agit, qui aulae familiares, res Principis priuatas procurant. De his iam *Henrici* nomine legati Gallici pacti, „eum ad inhabitandum nullos peregrinos homines adducturum, praeter

„praeter paucos, quorum opera in minifterio domeftico vteretur, hos tamen poft- „ea breui remiffurum, neque vllas iis poffeffiones, dignitates, aut officia: fed „ea tantum indigenis Polonis conceffurum. Vol. Const. *p. 225.* Idem de dimittendis peregrinis, ac poffeffionibus & dignitatibus arcendis, Regis Sueciae Oratores pro *Sigismundo III.* promiferant, fimul, „cum *Is* regnum Sueciae „adierit, confiliarios & officiales eius Regni, Poloniae & Magni Ducatus Litua- „niae, confiliis, negotiis, intercesfionibus, promotionibus non adhibiturum, „neque vt iis fe immifceant, pasfurum. Vol. Const. *p. 453.* Haec per Conftitutionem anni 1607. Vol. Const. *p. 831. tit. O Cudzoziemcách*, firmantur, ac in peregrinos, qui munus aliquod, aut bona Reipublicae obtinuerint, iudicium & poena decernuntur: quam Conftitutionem alia an. 1609. Vol. Const. *p. 890. tit. O Cudzoz.* roborat. His fe fubmiferunt in Pactis fuis *Vladislaus IV. Iohannes Cafimirus* & *Auguftus II. §. Cudzoziemcow wfzelákiey.* Ex quibus *Vladislaus IV.* fidem in pactis datam, per Constitvtionem a. 1646. *pag.* 2. repetebat, Se fcilicet extraneos ad latus fuum non habiturum, neque illorum confiliis vfurum. In Exorbitantiis vero fub electionem *Michaelis, tit. O liczbie Cudzoziemcow*, fancitum, „quod penes Regem vltra fex extraneos haud effe, & qui fe „ex illis in materiam ftatus ingerere voluerit, is ad inftantiam cuiusuis ad tribunal „citari, & ex fpeciali regeftro poenis criminalibus iudicari debeat. Denique in *Tractatu Varfauienfi a. 1717.* Miniftris Regni & Lituaniae, ad latus Regium, commendatur attendere, „ne exteri in aula agentes, in confilia & negotia, ci- „uilia, militaria & oeconomica, in falisfodinas & telonia, atque promotiones fe „immifceant. Const. *a 1717. p. 8.*

2 Non id reperitur in fuperiorum Regum pactis. *Iohannes Cafimirus* tamen per Const. *a. 1662. p. 15. tit. Deklarácya*, in illum vfum decem feruauit Aduocatias. De ipfis Aduocatiis actum ad §. XIII.

3 Haec faltem in Pactis *Auguft. II. §. Cudz. wfzelkiey*, exftant, omiffa tamen chartarum porrectio. Intelliguntur autem litterae quaeuis, aut diplomata, Regi per exteros ad fubfcribendum oblata, fiue negotium aliquod publicum contineant, fiue vfui priuatorum feruiant, ne clam obtineatur, quod fcire Cancellariorum intereft. Additur in fine iurisiurandi vinculum, illius fcilicet, quod in Pacta Conuenta dici folet, & ideo allegatum videtur, vt pateat, quanti momenti habeatur, exteros ad ea non admitti, quae praefenti §. memorantur.

§. XXX.

AVLICI NE SINT EXTRANEI.

Aulam dignitati noftrae Regiae conuenientem [1], ex gente Polona, Lituana & annexarum prouinciarum, tantum ex ipfo ordine equeftri [2], prae aliis, incipiendo ab Officialibus, Aulicis, vsque ad ephebos & ianitores habere promittimus [3], praeter alias perfonas ad minora obfequia [4] pertinentes, cuiuscunque conditionis.

1 Praeter miniftros Senatorii Ordinis, & eos, qui extra Senatum, quorum numerus eft certus & legibus definitus, funt aulici, a cubiculo, a reditibus,

bus, ab epiſtolis, alii, quos Rex prouti viſum fuerit, modo plures, modo pauciores creat.

2 Equeſtris ordo ſaltem memoratur, quod Senatorum dignitas maior eſt, quam vt ex iis aulici legi debeant, ipſi autem nobiles, iis, qui loco obſcuriori nati, praeferuntur.

3 Promiſerunt & priores Reges a *Vladislao IV.* in ſuis PACTIS §. *Dwor Stanowi*, addideruntque ſalarii mentionem, generatim tamen de aula locuti: primum Aug. II. aulicos per ſpecies recenſuit. Nihilominus fuerunt olim inter aulicos exteri. Fouit Suecos populares ſuos *Sigismundus III.* cuius exemplum ſecuti filii, ex quibus *Iohannes Caſimirus*, quod Coniux illius nationis erat, & Gallos admiſit, qui ob eandem rationem & in *Iohannis III.* aula frequentes viſebantur. Neque Italis, Transiluanis, ac Germanis praecluſus fuit aditus, cum Poloni ex diuerſis his nationibus modo Reges, modo Reginas, legerent reciperentque.

4 Non haec ante *Auguſtum II.* in pactis leguntur, & ipſa *Auguſti II.* pacta, illa obſequia ad *cubiculum* Regium reſtringunt, omiſſis *cuiuscunque conditionis* vocabulis.

§. XXXI.

DE AVLA REGINAE.

Similiter & Sereniſſima Regina, Coniux noſtra, in aula ſua [1], perſonas Polonicas, Senatorii [2] tantum & equeſtris ordinis habebit, prouidendo aulae ſuae perſonas extraneas [3], pro dignitate & decentia ſua.

1 Hanc Reginae aulam iam ſuo tempore deſcripſit CROMERVS *de ſitu & Gente Polona Lib. II. edit. quae hiſtoriae eius iuncta, p. 512. 513.* „Habet, *inquiens*, „Regina Magiſtrum curiae, qui omnibus praeeſt, Eamque prodeuntem cum ſce„ptro antecedit, & Magiſtram curiae gynaeceo moderantem: deinde Cancella„rium vel Secretarium, cuius ſunt munera, litteras nomine Reginae conſcribere, „ſignare & legere, & compellantibus Eam reſponſa dare. Eſt autem diſcrimen „inter Cancellarium & Secretarium, quod hic non geſtat ſignum Reginae ſicut „ille, ſed ab ea, quoties opus eſt, vtendum accipit. Habet Regina etiam The„ſaurarium ſuum, & pincernam ſiue pocillatorem: & ſtructorem menſae & ſub„dapiferum, & dapiferum, & culinae & ſtabili magiſtros ſingulos: itemque map„parium, abaci cuſtodem, diſpenſatorem & ianitores, eodem quo Regis ſunt, „honoris diſcrimine: quibus omnibus victus, veſtitus & mercedes a Rege „praebentur.

2 Sunt Reginae inter aulae ſuae miniſtros & Senatores, ex quibus Mareſchalcus, ſaepius & Cancellarius, eſſe ſolent. Mareſchalcus eſt idem, qui Cromero allegato loco curiae Magiſter dicitur, qui Reginae ſcipionem praefert, ac primam aulae curam, gerit. Hoc munere apud *Mariam Iohannis III. Erneſtus Doenhof*, Palatinus Mariaeburgenſis; apud *Eleonoram Michaelis*, *Vladislaus Rey*, Palatinus Lublinenſis; apud *Ludouicam Vladislai* & *Iohannis Caſimiri* coniugem, *Gerhardus Doenhof*, Palatinus Pomeraniae, functi ſunt, cui hodie *Illuſtris Petrus Dunin*, Caſtellanus Radomienſis praeeſt. Quae Cancellarii partes, deſcripſit idem *Cromerus* cit. loco, eſtque is Sacri, vt Mareſchalcus ciuilis ordinis, & modo Epiſcopus, modo minoris dignationis. In aula *Mariae* fuerunt Cancellarii, *Ioh. Stan. Sbanſcius*, & *Andreas Chryſoſt. Zaluſcius*, ille *Premislienſis*, hic *Kiouienſis*, Epiſcopus, reddiditque Sigillum *Zaluſcius*, *Ioh. Alb. Doenhof*, Camenecenſi Praeſuli. *Eleonorae* erat *Vencesl. Leszczynius* Abbas *Czeruinenſis*, & *Ludouica Ioh. Gemblicium* Regni Secretarium maiorem, Cancellarium recepit. In praeſens ſtationem hanc ornat *Reuerendiſſ. Kobielscius* nominatus Epiſcopus Camenecenſis. Nec minus Magiſtra Curiae, vt eam nominat CROMERVS, ex viduis Senatorum legitur. *Ludouicae*, cum in Poloniam veniret, data fuit *Pomeraniae Palatina*, *Maria* vero *Kiouiae Palatinam* recepit.

3 Non ergo omnes exteri aula Reginae prohibentur. *Vladislaus IV.* & *Ioh. Caſimirus* caelibes, in PACTIS ſuis §. *Z ſtrony małżenſtwa*, promiſerunt: „ſi quando vxorem exteram ducturi, non plures ei peregrinos, neque diutius con„ceſſuros, quam Senatui viſum fuerit. In EXORBITANTIIS, ſub electionem *Michaelis, tit. Krolowa*, Reginae exterae, ſex ſuae nationis feminae, ad cubiculi tantum miniſteria permittuntur: quod ipſe Michael caelebs, in PACTIS repetit §. *Z ſtrony małżeńſtwa*, illasque ſex perſonas infimis operis deſtinat. Inde *Andr. Olczouius* Epiſcopus tunc Culmenſis & Regni Procancellarius, pro matrimonio *Eleonorae* Viennam legatus miſſus, de iis, quos adductura in Poloniam, Michael perſcribit: „Cum Archiduciſſa in Poloniam non venient, niſi vna Baro„neſſa Mantuana, Milia, ſine vllo titulo, & quatuor puellae, inter quas vna tan„tum inſignis erit Princeps Holeſtinenſis annorum decem. Ex viris neminem „habebit, quatuor tantum vilioris ſeruitii, coquum, credentiarium, ſupellectilis „conſeruatorem &c. Omne ſeruitium debet eſſe ex Polonis, ne oneri ſit & in„vidiae, nam qui genitalis ſoli relinquit dulcedinem, nobis volet inhaerere. Vi„deo & conſidero quod hic nolint impingere in errores & diffidentias in populo „importunas. Qui certatim ſeruitia quaerunt, expedit negatiue Imperatrix, omnia „referendo ad voluntatem Maieſtatis Veſtrae. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 165.* Auguſtus II. Coniugi quatuor gentis ſuae pactus §. *Także Naiaśnieyſza*, feminas, ſed conditionis nobilioris.

§. XXXII.

DOTALITIVM REGINAE.

Sereniſſima Coniux noſtra tali dotalitio in Tenutis & bonis Regiis [1] gaudebit, quale Sereniſſimae Reginae Poloniae, Ludouica, Eleonora & Maria [2] habuerunt.

1 Viuente Rege, diuerſae ſummae, Reginae decernuntur, quibus poſt mariti mortem, Se ſuamque aulam pro dignitate ſuſtentet, & quidem alia ratione illatae dotis, alia dotalitii, alia denique ſed longe minor, donationis propter nuptias nomine. Inſcribuntur illae certis bonis Regiis, per nobiles, indigenas & poſſeſſionatos adminiſtrandis, vt vidua annuos ex illis reditus, qui ſummas deſtinatas aequare creduntur, recipiat. Fit hoc omnium Ordinum conſenſu, per publicam legem, ſoletque adiici, ne ſucceſſores Reginae vllam poſſeſſionem bonorum, quibus ſummae inſcriptae, ſibi vindicent, neque Reſp. obſtringatur, easdem pecunias, ſiue Regina viuente, ſiue mortua, cuiquam numerare, ſed vt Regina illis bonis vtatur, quamdiu Regina Pol. audiet, & in Polonia aut M. D. Lituaniae manebit. Probant id CONSTITVTIONES eam in rem latae a. 1646. 1670. &

1678.

1678. sequenti nota iterum citandae. Inde *Eleonora Michaelis* vidua, reditibus suis excidit, cum in Germaniam abiret, nuberetque altero matrimonio Carolo Lotharingiae Duci. *Maria* vero *Iohannis III.* quondam coniux, constituto Romam itinere, litteris ad conuentus antecomitiales, Reip. petiit consensum, vt assignatis sibi in viduitatis solatium bonis, vti liceret. *Epist.* Zal. *T. I. p. 511.* Comitiis autem non succedentibus, concessum per SCsltum quod rogauerat, & cum absentia, quam ad biennium Ipsa restrinxerat, esset annorum plurium, reditusque tempus plane incertum, consensit Resp. per Const. *Poparcie Gener. Sendom. Konfed. a. 1710. p. 69. tit. Pozwolenie*, vt diutius extra Regnum agere Ei liceret; Illiusque bona & iura *reformatoria*, circa integritatem & immunitatem legibus circumscriptam seruauit, & omne illud, quod huic iuri *reformatorio* aduersum, licet priuilegio aut Rescripto aliquo suffulciatur, veluti irritum tollit. Addimus, omne illud, quod Reginis in viduitatem assignatur, vno *Reformationis* vocabulo Polonis venire, & ius *reformatorium* dici, quo illa reformatio constituta.

2 Tres memorantur Reginae, quatuor Regum coniuges, *Ludouica Vladislai IV. & Ioh. Casimiri, Eleonora Michaelis & Maria Iohannis III.* Habuerunt illae suum dotalitium, aut vt Poloni loqui sueuerunt, suam *Reformationem.* Et quidem Ludouica in singulos annos centum millia florenorum ratione illatae dotis, alia centum millia in dotalitium, & duo millia aureorum donationis propter nuptias nomine. Const. *a. 1646. p. 8. tit. Oprawa.* Pares summae *Eleonorae* Const. *a. 1670. p. 17. tit. Oprawa*, & *Mariae* Constit. *a. 1678. p. 4. tit. Oprawa*, assignatae. Id singulare primumque est exemplum Reginae dotalitium in Pactis Conuentis decerni. Occurrit quidem in *Ioh. III.* Pactis §. *Iako na przeszley*, Reginae *Eleonorae* reformatio, sed praecesserat allegata a. 1670. Const. qua eadem sancita, neque aliud in Pactis actum, quam vt recenserentur bona mensae Regiae, ex quibus vidua reditus acciperet, donec vacare contingeret illa bona, quibus per Constit. erant inscripti.

§. XXXIII.

CVSTODIA CORPORIS, ET CANCELLARIA REGIS.

Custodiam corporis nostri [1], & Cancellariam [2], ad mentem Constitutionis anni 1717. sustentabimus & conseruabimus.

1 Custodiam corporis Regii, eiusque praefectum, ex indigenis Regni & M. D. Lituaniae lectum iri, promisit in Pactis suis *Sigismundus III.* Vol. Const. *p. 453. §. Custodiam.* In *Vladislai IV.* Pactis §. *Dwor, Prouinciae Regno & M. Ducatui iunctae*, adduntur, ex quibus militem praetorianum legere liceat, vt praefectus nobilis sit, Polonus aut Lituanus, aut caeterarum terrarum, vtque idem se Regi & toti Reip. coram Regni ministris & Senatoribus in aula agentibus, sacramento obstringat, ac iurisdictioni Mareschalci pareat. Idem in sequentium Regum Pactis §. *Dwor*, repetitum, nisi quod in *Augusti II.* §. *Takže Gwardye* accessit, militibus illis stipendium ex Thesauro Regio solui, & numerum illorum, ex Regum superiorum consuetudine, mille ac ducentos haud excedere debere. Vtrumque hoc iam *Vladislai IV.* tempore per legem erat sancitum, Const. *a. 1646. p. 2. 3.* repetitumque ab Ordinibus in Exorbitantiis sub Micha-

Michaelis electionem, *tit. O gwardye.* Superest Tractatus Varsaviensis a. 1717. qui instar legis perpetuae Constitutionibus eiusdem anni insertus est, quique *Constitutionis* nomine allegatur. Per hunc, Regi Custodia corporis, ex militia & natione Saxonica, partim equestris partim pedestris, non tamen vltra mille & ducentos, & gregarios milites & praefectos computando, permittitur. Praeterea conuenit: „vt summus Praefectus, colonellus dictus, praeter fidelitatem Regi & Reip. praestandam, iuret: se dictum numerum non aucturum, ac Se iurisdictioni Mareschalci, secundum leges hanc in rem scriptas, obtemperaturum; ne sub titulo supplendae dictae cohortis praetoriae, milites ex Saxonia in Regnum inducantur; ne eadem siue penes Regiam Maiestatem consistat, siue iter faciat, tum vna, tum per manipulos vllum commeatum gratis accipiat, aut per vim exigat, sed suo stipendio viuat, omnia praesenti pecunia soluat, sub rigore seuerissimae poenae, a summo aut minori praefecto sine venia irrogandae, aut si negatur iustitia, per Mareschalcos Regni & Lituaniae infligendae, ita tamen, vt simul damnum, pecunia ex aerario militari sarciatur. Const. *a. 1717. p. 8. 9.*

2 Intelligitur Cancellaria pro negotiis Saxonicis, quam idem Varsav. Tractatus ad sex personas redigit, & vtriusque gentis Mareschalcis iniungit, providere, ne plures admittantur. Const. *a. 1717. p. 9.*

§. XXXIV.

REGINA REIPVBL. NEGOTIIS ABSTINEAT.

Stipulamur pro Serenissima Coniuge nostra, quod Ea in materias Status, aut promotiones, siue per Se, siue per alios [1], nunquam Se ingeret.

1 Carerent hoc capite Pacta Conuenta, nisi exstitissent olim Reginae, quibus obiectum, suae curae vindicasse Rempubl. vt, quasi ad gubernacula positae, eam moderarentur. De *Ludouica Ioh. Casimiri* coniuge, audita querela frequens, quod Regis quidem nomine, illius tamen ad arbitrium fierent pleraque, quod nisi per eam, ad Principis gratiam aditus, iis plane praeclusus, qui vxori inuisi. Erumpebat indignatio, cum nouam electionem, Rege viuente & incolumi moliretur, ac tentando omnia, Remp. ciuili bello inuolueret. Immortua quidem huic suo operi, mansit tamen eorum, quae ausa fuerat, memoria, vt in Exorbitantiis, sub electionem *Michaelis, tit. Krolowa*, Ordines sancirent, „ne Regina Se negotiis Reip. immisceret, neque promotiones per feminas aulicas exterae gentis fierent, addita relegationis ab aula poena, quam Nuncii in Comitiis, dum vacantium mentionem faciunt, procurare deberent. Quod in Pactis *Michaelis*, §. *Waruiemy za przyszłą*, sic repetitum, vt Nunciorum loco, Cancellariis & Camerariis vtriusque gentis iniungeretur, praecauere, ne tale quid a dictis feminis fiat, & si fiat, illud ad Remp. deferre. *Eleonora* ex Austriaca domo, cui per matrimonium iunctus Michael, sponsa adhuc & absens, dignitates & publica munia promittere incusabatur: *Epist.* Zal. *T. I. p. 170.* falsam vero fuisse suspicionem tum constabat, cum Ipsa per totam Regis vitam, publicis negotiis adeo abstineret, vt cum marito obiicerentur bene multa, quae secus fierent, Ipsa nullius rei argueretur. Imo cum maleuoli, vt tum quidem fama erat, Regem abdicare molirentur, Reginam tamen Regno seruare, ac dissoluto matrimonio,

monio, futuri Regis coniugem volebant. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 343.* Durauit hoc in Reginam ſtudium & poſt *Michaelis* mortem, adeo, vt inter Regni candidatos, initio potior ratio caelibum habita, quo eligeretur, qui Viduam duceret. Praeualuit tamen *Iohannis Sobiescii* fortuna, cui vxor *Maria* nationis Gallicae, pro qua idem quod *Michael*, in ſuis PACTIS §. *Waruiemy za Matronkę*, nouus Rex ſpopondit. Haec tamen, ſi illorum temporum commentariis fides habenda, magis ad Ludouicae, quam ad Eleonorae exemplum Se compoſuiſſe viſa. Supereſt enim *informatio*, *manifeſto* poſt Grodnenſia comitia a. 1688. illato oppoſita, ex qua conſtat, fuiſſe conſilium, „Regi in iisdem Comitiis ſupplicandi, vt Pa„ctum, quo Regina immiſcere Se Reip. negotiis prohibetur, ſeruaretur, cum illius „rei contrarium obtineret, dum non tantum promouente Regina, qua Eccleſia„ſtici, qua ſaeculares vacantes honores diſtribuerentur, ſed etiam conſilia priua„tim & ſeparatim in anteceſſum formarentur, antequam de illis Reſp. aut ſaltem „Senatus in publico edoceretur. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 1092.* In aula eius duae dicebantur eſſe factiones, quarum capita eſſent duae feminae exterae. *Epiſt* ZAL. *T. I. p. 1029.* Quid Ipſe Rex de eadem faſſus, quid in eam publice dicere ſuſtinuerit, magni nominis ſenator, *Raphael Leſzczynius* Poſnanienſis Palatinus, ZALVSCIANAE EPISTOLAE *T. I. p. 1134. & 1104.* memorant. Nec defuerunt, qui poſt mortem *Ioh. III.* in Comitiis conuocationis recenſerent, quantae Reginae in Reip. negotiis partes fuerint. *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 125. 126.* Haud tamen defenſore plane caruit. „Reginam, *inquit ille*, accuſatis, quod ſcilicet dum fu„ſo locare deberet manum, immiſceat Se publicae adminiſtrationi pro ſexu au„dentius, & non meminiſtis, quod nihil magni, in Regno ſine illa, imo niſi per „illam fuerit geſtum, quod nos iudicio noſtro illo tempore approbauimus, gra„tulatione etiam proſecuti ſumus, amauimus amore dignam. Huiusmodi etiam „reprehenſionem veſtra iam conſuetudo ſuſtulit. Nonne videtis per totam Polo„niam in domibus priuatis, deuolutum in feminas rerum imperium? ſi eſt ini„quitas, cur ſuo patrocinio non deſtituitur? & Regina in hoc arguitur, accuſatur, & „nec poteſtas datur cauſſae dicendae. *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 185.* Poſt *Iohannem III.* idem caput nonnihil immutatum, *Auguſti II.* PACTIS §. *Waruiemy za Naiasnieyſzą*, inſertum, „ne Regina ſe negotiis ſtatus Reip. per ſe & ſubordinatas „quasuis perſonas immiſceat, neque in promotiones ſe ingerat, pariter ipſe Rex „per aulicas feminas & perſonas exteras, aut per intimos cubicularios, cuius„cunque nationis extraneos promotiones haud faciat; quod ne fiat, non tantum iniunctum Mareſchalcis, Cancellariis & Camerariis vtriusque gentis, prouidere, & ad Remp. deferre, verum etiam Nunciis terreſtribus data eſt facultas, illius rei in Comitiis, vna, cum de vacantibus referunt, mentionem iniiciendi. Superuacua haec fuit cautio, cum Regina, ſuam in Saxonia ſolitudinem aulae praeferret turbis, ibidemque procul a Republica, vitam per pietatem, inter caeleſtes curas tranſigeret, dum corporis vinculis ingens anima exſolueretur.

§. XXXV.

DE PRINCIPE REGIO IACOBO.

Reaſſumendo Pacta conuenta & iura Sereniſſimae Regiae prolis, inter Rempublicam & Sereniſſimum Sanctae memoriae Iohannem III. Regem Poloniae, Anteceſſorem noſtrum [1], indemnitatem & immunitatem bonorum & fortunarum [2], Sereniſſimi Principis Regii Iacobi [3], ſimul perſonam eius in protectione noſtra manutenebimus, praeuio iuramento fidelitatis, in conformitate legum, Nobis & Reipubl. praeſtando [4].

1 De prole ſua, Rex *Iohannes* cum Republica pactus §. *Krewnych*, „vt linea „e lumbis ſuis directe deſcendens, omnibus iſtis praerogatiuis gaudeat, quibus „ſoboles ſuperiorum Regum Poloniae vſa, ſaluis circa hanc rem Reipublicae „iuribus. Ratum id habuit in PACTIS CONVENTIS *Auguſtus II.* §. *Reaſſumuiąc Pacta*, promiſitque, „Se proli Regiae, omnia iura in integro & inuiola„biliter conſeruaturum, ſaluis ab vtrinque, tam Reipublicae, quam Sereniſſimo„rum Domus Regiae Succeſſorum praetenſionibus, & apud Principes Regios in „comitiis coronationis ſuae, aut in proxime ea ſequentibus effecturum, vt iura„mentum fidelitatis ſibi & Reipubl. praeſtent. Pactorum auctoritatem TRACTATVS VARSAVIENSIS *a. 1717.* CONST. *a. 1717. p. 36. Artyk. 6.* & CONFOEDERATIO in comitiis conuocationis a. 1733. *p. 17. §. 67.* firmarunt. De iuribus autem Superiorum Principum Regiorum, quibus & Iohannis III. ſoboles gaudere debuit, occurrunt nonnulla ad *§. II. nota* 2.

2 De Regia ſobole, ac eius bonis, in PACTIS *Auguſti II.* §. *A gdyby &* §. *A w dobrach* cautum, „vt, ſi cauſſa, quae ipſas Principum perſonas tangat, „obueniat, illius cognitio Regi cum Senatu in comitiis ſubmittatur, bona vero „a Nobilibus poſſeſſionatis adminiſtrentur, qui iniuriam paſſis, iure reſpondeant, „& executioni finali de bonis ſuis & perſonis ſubiaceant, neue executio a Prin„cipibus impediatur. In TRACTATV VARSAVIENSI, CONST. *a. 1717. art. 6. p. 37.* non tantum fortunae, bonis ac perſonis Principum *Iacobi* & *Conſtantini*, inuiolabilis ſecuritas, ſed etiam, ſi quis dictos Sereniſſimos Principes ad forum incompetens euocauerit, honorique perſonarum & bonis vim laeſionemque intulerit, libera iniuriarum vindicatio, ſiue in iudiciis Tribunalitiis, ſiue etiam in iudiciis per allegatum Varſauienſem tractatum conſtitutis, promiſſa; nec minus poſtulationibus eorum, ex ſummis, tam in Oeconomiis Regni Poloniae & M. D. Lituaniae, ac caeterarum prouinciarum haerentibus, quam documentis peculiaribus demonſtrandis, ſaluo tenore pactorum conuentorum a Republ. & Regia Maieſtate reſpectiue, praeuia deductione cauſſae debendi, amicabili compoſitione, ſatisfactum iri, ſolenni more cautum. Per CONSTITVTIONEM vero eiusdem anni 1717. *tit. Trybunał, Skarbowy p. 60. in fine.* ſancitur: „vt Sere„niſſimis Principibus Regiis, ſumma a Parente olim exercitui numerata, ſine „mora praeſtetur. Denique in Comitiis conuocationis a. 1733. CONFOED. GEN. *p. 17. §. 67.* Reſpubl. Principi Iacobo eiusque bonis ſecuritatem ſpopondit, & quod eiusdem poſtulationibus nondum ſatisfactum, efficacem promotionem & protectionem promiſit, aſſertis non tantum ſummis Oeconomiis Sauelenſi &

Tigenhofensi inscriptis, sed hoc insuper addito, vt vsque ad solutionem earundem, Oeconomiae illae, ad exemplum Regiarum Oeconomiarum, ab hibernis & statiuis immunes habeantur.

3 Caeteris fato functis, solus ex Regia sobole superest Princeps *Iacobus*, qui Olauiae in Silesia, quod ibidem sedem sibi constituit, agit.

4 Iusiurandum illud, iam Pacta *Augusti II.* exegerunt, vt *nota* (1) dictum, quod TRACT. VARSAV. *l. c.* repetit, & cum nondum praestitum, tertium monendus erat Serenissimus Princeps *Iacobus*. Praeiuerunt suo olim exemplo *Sigismundi III.* filii, pro quibus frater *Vladislaus* in PACTIS suis §. *Naiaśnieyszych Krolewicow*, fidem suam obstrinxit, „iuramentum fidelitatis sibi & Reipu„blicae, in Comitiis coronationis praestituros, quibus ex iis, a Republ. reditus „assignati, quo sacramento tam diu teneantur, dum reditus illos recipient, & in „regno domicilium fixum habebunt. Quare in memoratis Comitiis Princeps *Iohannes Albertus* nominatus Episcopus Cracouiensis, iusiurandum Senatorium dixit, *Iohannes Casimirus* vero & *Alexander*, beneficiis & prouisione Reipubl. gaudentes, conceptis verbis per Deum & sanctam crucem iurarunt, „Se Regi „ac Regno Poloniae & M. Ducatui Lituaniae fideles & obedientes futuros, nihil „in damnum vel praeiudicium Regiae Maiestatis & Reipubl. consilio, auxilio, „vel facto commissuros, imo si aliquid tale sciuerint, quod vergat in detrimen„tum, tam Regiae Maiestatis, quam Reip. se praecustodire, ac pro posse suo auerte„re, conaturos. CONST. *a. 1633. p. 14. tit. Iurament.* Solus *Carolus Ferdinandus* Episcopus Vratislauiensis eximebatur, quod in Regno nihil teneret, cuius nomine Regi & Reipublicae fidem addiceret: PIAS. *Chron. p. 459.* qui tamen factus a. 1641. Episcopus Plocensis, iusiurandum Senatorium non recusauit. CONST. *a. 1641. p. 4. tit. Consens.*

§. XXXVI.

DE IVDICATIS, SALVIS CONDVCTIBVS, ET CAPTIVITATE IVRE VICTORVM.

Iudicata quorumuis magistratuum, praecipue iudiciorum nostrorum, per rescripta priuata, ne suscitentur [1], sub nullitate eorum, praecauebimus, & saluos conductus, vulgo *gleyty*, in Regno secundum antiquam consuetudinem, ad iure agendum [2], saltem in sex menses, & prorogationes eorum non nisi bis, ex Cancellaria nostra dari permittemus, neminemque captiuari, nisi iure victum [3], patiemur.

1 Id quidem vsu in Polonia obtinet, & forent lites sine fine, si ad controuersias iam iudicatas, per Rescripta Regia redire liceret.

2 Quando decretum latum in contumaciam, damnatus obtinet saluum conductum, quo effectu decreti suspenso, iure agendi locus conceditur. Re vero, ex feriis partium controuersiis, vt vocamus, iudicata, saluum conductum impetrare fas non est. Haec ac alia huius generis vsus forensis docet.

3 Vetus

3 Vetus est lex, non in carcerem coniicere, nisi iure victum, si nobilis, si possessionatus, si non in publico crimine deprehensus, & si de damno dato cauere voluerit: quos limites *Vladislaus Iagello* a. 1433. statuit. Promittit enim & spondet, „quod nullum terrigenam possessionatum, pro aliquo excessu seu cul„pa capiet, seu capi mandabit, nec aliquam vindictam in ipso faciet, nisi iudicio „rationabiliter fuerit conuictus, & ad manus suas, vel suorum Capitaneorum, „per iudices eiusdem terrae, in quibus idem terrigena resideret, praesentatus: illo „tamen homine, qui in furto, vel in publico maleficio, vtpote incendio, homi„cidio voluntario, raptu virginum & mulierum, villarum depopulationibus & „spoliis deprehenderetur: similiter illis, qui de se nollent debitam facere cautio„nem, vel dare, iuxta quantitatem excessus vel delicti, exceptis. LASC. *Stat. f. 51.(b) 52.(a)* PRIL. *Stat p. 270. 271.* *Casimirus IV.* omissis caeteris, saltem edixit, non captiuandum, nisi iure prius conuictum. LASC. *f. 92 (b)* PRIL. *p 270* *Alexander Casimiri* filius addit, nullum nobilem captiuandum, qui bonae sit famae, non autem bonae esse famae censet, qui ter in regestris maleficorum descriptus, talemque vt malae famae, absque iuris processu capi detinerique iubet. LASCO *f. 115. (b)* PRIL. *p. 564.* Cuius statuti auctoritatem *Sigismundus I.* initio ad biennium, postea ad quinquennium reduxit. PRIL. *p. 564.* HERB. *tit. Nobilis.* *Sigismundus Augustus* nobilem possessionatum carceri mandari non vult, priusquam iure victus fuerit. VOL. CONST. *p. 5. §. Slubem.*

§. XXXVII.

PRIVILEGIA IVRI PVBLICO NE SINT CONTRARIA.

Priuilegia omnia, tam publica, quam priuatorum [1], ab Antecessoribus nostris concessa, in quantum iuri publico & legibus non repugnant [2], conseruare & manutenere promittimus.

1 Sunt a superioribus Regibus, multa priuilegia, tum priuatis singulis, tum ciuitatibus ac prouinciis integris concessa, quae in *iure iurando Regio* plenius recensentur, dicunturque iura, libertates, immunitates, priuilegia publica & priuata, ecclesiastica & saecularia, ecclesiis Catholico-Romanis, Principibus, Baronibus, nobilibus, ciuibus, incolis & quibuslibet personis, cuiuscunque status & conditionis existentibus, per Diuos Praedecessores Reges & quoscunque Principes Regni Poloniae & M. D. Lituaniae, *expressis Regum a Casimiro M. ad Augustum II. nominibus*, iuste & legitime data, concessa, emanata & donata. Quod in *generali iurium confirmatione*, aliis tamen verbis, repetitur.

2 In *iureiurando Regio*, & *iurium confirmatione*, dicitur ius commune vtriusque gentis, cui priuilegia haud contraria esse debeant. Et est ius publicum, nihil aliud quam commune, quo vna Poloni & Lituani vtuntur, ac cui velut fundamento suo, Respubl. innititur. Hoc, ne priuilegiis contrariis infringatur, Reipubl. interest, quo eadem eo firmius consistat.

 §. XXXVIII.

§. XXXVIII.

DVCATVS ZATORIENSIS ET OSVIECIMENSIS A TELONIIS SINT IMMVNES.

Ducatus Zatorienſem & Oſuiecimenſem [1], per conſtitutionem anni 1581. [2] circa incorporationem ſuam [3], a ſolutione vectigalis & teloniorum, pro lignis & piſcibus, quos aqua Cracouiam & vltra ex bonis ſuis demittunt, liberatos, immunes fore, promittimus [4], & ne vllum praeiudicium a magna procuratione Cracouienſi [5] afferatur, curabimus, praeuio tamen eorum iuramento, quod ligna & piſces ex propriis fundis, non aliunde coëmtos demittant [6].

1 Ducatus Zatorienſis & Oſuiecimenſis, iam Palatinatus Cracouienſis portio, ſuos olim habuerunt Duces, Regis Bohemiae clientelares. *Venceslaus* Zatorienſis Dux, qui & Oſuiecimenſem, ob ius in hunc Ducatum, ſe dicebat, in *Caſimiri IV.* Regis Poloniae huiusque Regni clientelam, certis tamen conditionibus transiit. *Scriptor. rer. Sileſ. Ill. de* SOMMERSBERG *T. I. p. 810.* PRIL. *Stat. p. 789.* *Iohannes* vero ſiue *Ianuſſius*, vt in litteris publicis vocatur, hunc ſuum Ducatum Zatorienſem a. 1494. Regi Poloniae *Iohanni Alberto*, octoginta millibus florenorum Hungaricorum vendidit, ita tamen, vt Dux *Iohannes* eiusque coniux, quamdiu viuerent, Ducatum tenerent, isque demum poſt vtriusque mortem, Regi ac Regno Poloniae cederet, ſimul per omnem ſuam vitam ſingulis annis ex Zuppis Regiis Vielicenſibus & Bochnenſibus ducentas marcas communis monetae & ſedecim bancos ſalis reciperent. SCRIPT. RER. SILES. *l. c. p. 811.* PRIL. *p. 790.* Quod ad Oſuiecimenſem Ducatum attinet, emit eundem *Caſimirus IV.* a. 1457. a Duce *Iohanne* quinquaginta millibus marcarum latorum groſſorum Pragenſium. SCRIPT. RER. SILES *l. c. p. 808.* Ab hoc tempore manſerunt hi Ducatus in ditione Regum Poloniae, ex quibus Sigismundus Auguſtus, illos a. 1564. Regno arctius iunxit. VOL. CONST. *p. 62. ſ.*

2 Per eam, Nobilitas illorum Ducatuum, omnibus teloniis, tam aqua, quam terra exigi ſolitis, liberatur, & ratio additur: quod ambo Ducatus, ad iura & libertates Regni incorporati. VOL. CONST. *p. 375. tit. cla i myta.*

3 Non quod circa incorporationem per allegatam conſtitutionem teloniis exemti Ducatus, eſt enim incorporatio vetuſtior conſtitutione, vt patet ex nota (2); ſed quod per incorporationem, aequati iuribus Regno, tacite vectigalibus liberati fuerunt, cui ſuperaddita conſtitutio, vt videatur in pactis copula *&* omiſſa, legendumque per CONSTITVTIONEM *a. 1581. & circa incorporationem.* In eum ſenſum aiunt PACTA *Auguſti II. §. Depoſitoria mercimoniorum*, iſtos Ducatus, tam per incorporationem, quam per CONST. a. 1581. ſolutione telonii eſſe liberatos.

4 Idem promiſit in ſuis PACTIS *§. cit. Auguſtus II.* ſimul antiqua iura, quae in hoc Ducatibus ſubueniunt, approbauit.

5 Magnam

5 Magnam procurationem Cracouienſem conſtituunt certa bona in Palatinatu Cracouienſi, ad menſam Regiam pertinentia, inde & illa procuratio inter Oeconomias Regias locum habet. Qui illi praeeſt, reditusque curat, magnus procurator arcis Cracouienſis dicitur, quod ſimul arci huic proſpicit. Cum ergo magnus procurator, a Nobilibus Oſuiecimenſibus & Zatorienſibus, pro lignis & piſcibus vectigal exigere ſolitus, ne illud ab ipſo in poſterum fiat, ſpondetur.

6 PACTA Auguſti II. *§. cit.* idem iusiurandum exigunt, ſi vectigali immunes eſſe velint, qui pisces & ligna demittunt.

§. XXXIX.

IVS INDIGENATVS PRVSSIAE.

Prouidendo omnibus iuribus & immunitatibus Prouinciae Pruſſiae [1], ne in illis vllam laeſionem accipiat, ſed vt prouiſis ſuis in toto gaudere poſſit legibus, ſpondemus verbo Regio [2], quod omnia vacantia eccleſiaſtica [3] & ſaecularia, ſellas ſenatorias [4], munia [5] & Capitaneatus, Tenutas [6] & Aduocatias, ſolis, veris & indubitatis indigenis [7], nobilibus [8] bene meritis, vigore priuilegii incorporationis [9], & diplomatum Sereniſſimorum Anteceſſorum noſtrorum [10], & illius, quod Nos Ipſi daturi [11], conferemus, neque conſenſus ad cedendum [12] permittemus, & caſu quo aliquis priuilegium, huic noſtrae ſponſioni contrarium, obtinuerit, illud pro nullo & inualido ex nunc declaramus, & non tantum Nunciis reclamandi [13] facultatem, ſed etiam vim agendi in iudiciis noſtris poſtcurialibus, pro repoſitione & abiudicatione priuilegii atque conſenſus concedimus.

1 Habet Pruſſia, quae Regi Poloniae paret, ſua iura, ſuas immunitates, quae pacto deditionis, aut *priuilegio*, vt vulgo appellatur, *incorporationis* continentur, illuſtratae olim a nobis binis DISSERTATIONIBVS *de norma regiminis Pruteni* altera, altera, *hodierna Reipubl. Prutenae facies* dicta, quibus tertia, *de vnionis qua Poloniae iungitur Pruſſia indole*, poteſt addi.

2 Antea, idque interregno non vno, Pruſſi anniſi, vt cum caeterorum iurium, tum indigenatus inprimis, cui hoc §. ampliſſime cauetur, in pactis conventis haberetur ratio. Poſt mortem *Vladislai IV.* mandabant ſuis ad electionis comitia Nunciis, „vt ſedulam impenderent operam, quo articulus de conſerua„tione terrarum Pruſſiae circa iura indigenatus, pactis conuentis, futuro Regi of„ferendis, per expreſſum insereretur, omnibusque modis ex ſententia conſilii Pru„tenici vrgerent, quo nonniſi ſecundum obloquentiam iurium, priuilegiorum „cautionumque Regiarum, dignitates, caſtra, praefecturae ac tenutae, veris ha„rum terrarum indigenis conferrentur, cum ea expreſſa declaratione, ſe ad nulla „alia Reip. negotia, non ad exorbitantias & grauamina, nec ad pacta conuenta,

„non

„non denique ad ipſam noui Regis electionem ac nominationem proceſſuros, an„tequam ſufficienter eo nomine realiterque fuerit ſatisfactum. HIST. PRVSS. *T. VII. Doc. p. 20.* Laborabant quidem magno ſtudio nuncii, commiſſum ſibi negotium efficere, quod cum omnis opera, preces ac minae fruſtra eſſent, per ſolennes contradictiones prouinciae ſuae integrum ſeruabant. HIST. PRVSS. *T. VII. p. 35.* Non omiſerunt inde Pruſſi, circa electionem *Michaelis*, *Iohannis III.* & *Auguſti II.* iuri indigenatus inter PACTA CONVENTA locum depoſcere, obtinueruntque tandem, vt *Auguſti II. §. Za honory*, inſereretur, „dignitates & quaeuis munia in Pruſſia, iuxta ſpecialia Terrarum illarum priuilegia „collatum iri.

3 Inter quae primum locum tenent, duo in Pruſſia Epiſcopatus, Varmienſis & Culmenſis. Tempore *Sigismundi III.* fuerunt, qui crederent, non poſſe ſolis indigenis Pruſſiae, Epiſcopatus vindicari: quod in *priuilegio incorporationis*, vbi indigenatus iura recenſentur, Epiſcopatuum nulla fieret mentio: quibus tamen reſponderi poterat, vniuerſitate etiam partes contineri, & ſimul Epiſcopatus intelligi, quando in dicto priuilegio, generatim *dignitates & officia*, *hactenus in Pruſſia conſiſtentia*, *& in poſterum conſtituenda* memorantur. HIST. PRVSS. *T. IV. p. 315.* Neque aliud vſu receptum, adeo, vt quoties non indigenis collati Epiſcopatus, Pruſſi non tantum contradixerint, ſed & nouos hos Epiſcopos in ſuum conſilium non receperint, niſi indigenatu antea donatos. De aliis dignitatibus eccleſiaſticis indigenis ſaltem conferendis, alio loco, *in* HODIERNA REIP. PRVT. FACIE *§. 76.* actum.

4 Habent Pruſſi ſuos Senatores, & quidem praeter ſuos modo dictos Epiſcopos, tres Palatinos, tres Caſtellanos & totidem Succamerarios, qui a tribus Palatinatibus, Culmenſi, Mariaeburgenſi & Pomeraniae nomen habent, praeter Caſtellanos Elbingenſem & Gedanenſem, qui a ciuitatibus appellantur. De iſtis hoc loco ſermo eſt, praeter quos, trium maiorum ciuitatum ablegati, Senatui Pruſſico adſcripti. Et de Succamerariis tenendum, eſſe Senatores intra Pruſſiam, non pro iis in Polonia haberi.

5 Praeter Senatores, ſunt in Pruſſia, Theſaurarius, Enſifer, Vexilliferi, Iudices terreſtres.

6 Idque ex mente priuilegii incorporationis, quod praeter dignitates & officia, caſtra & tenutas ciuitatum & locorum, propriis indigenis ſeruat.

7 Sunt veri, ſeu vt eos appellat modo allegatum priuilegium, proprii indigenae, qui Parentibus Pruſſis, in Pruſſia nati, ſuumque ibidem habent domicilium. A. 1530. Ordines coram Rege *Sigismundo I.* affirmabant, maiores ſuos nonniſi eos cenſuiſſe proprios indigenas, qui in terris Pruſſiae nati & poſſeſſionati, in aliis terris officia & poſſeſſiones non haberent. HIST. PRVSS. *T. I. Doc. p. 89.* *Sigismundo Auguſto*, hanc ſua auctoritate indigenae definitionem probari ſupplicabant, quod verus & proprius indigena is tantum exiſtimetur, qui ex parentibus in Pruſſia, & nusquam alibi continuum domicilium & bona propria habentibus, ac iure & iudicio ipſarum terrarum fruentibus & ſubiectis, in ipſa Pruſſia, ex legitimo toro ſuſceptus & alitus. HIST. PRVSS. *T. II. Doc. p. 4.* Eidem *Sigismundo Auguſto*, *Hoſius* Epiſcopus Varmienſis, ipſe licet Polonus, perſuaſit, per indigenas, nonniſi in Pruſſia natos, fuiſſe intellectos, neque ipſos Reges aliter ſenſiſſe. HIST. PRVSS. *T. II. p. 82.* Et a. 1589. argumentis, teſtimoniis, vſu probatum, indigenam, in terris Pruſſiae, non alibi genitum appellari, ſolosque Prutenos pro veris

veris indigenis in ſua prouincia ſemper habitos, habendosque eſſe. HIST. PR. *T. IV. Doc. p. 21. 22.* Plura de ſignificatu huius vocabuli congeſſimus, in DISS. qua *normam regiminis Prutenici* deſcripſimus *§. 50-53.* Non ergo ſunt in Pruſſia indigenae, Poloni, Lituani, ac terrarum, quae Regno magnoque Ducatui iunctae, incolae, ſed reputantur pro extraneis, quos dignitatibus, muniis, caſtris & tenutis, *incorporationis priuilegium* prohibet. Poſſunt tamen tum illi, tum extranei alii indigenae fieri per publicam legem, *laudum* vocamus, in generali Ordinum Pruſſiae conuentu. Quid vero in petendo ac dando indigenatu obſeruari debeat, in HODIERNA REIPVBL. PRVTENAE FACIE *§. 79.* expoſuimus, vnde id ſaltem repetimus, conceſſum indigenatum, non ad collaterales, ſed ad deſcendentes ſaltem extendi, idque auctoritate laudi a. 1668. HIST. PRVSS. *T. VII. Doc. p. 166.*

8 Admiſſi tamen olim in Pruſſia, & ciuitatum incolae eorumque filii, ad dignitates, Capitaneatus & tenutas, neque inde per legem excluſi. Inter Epiſcopos Varmienſes & Culmenſes reperiuntur *Crapicius*, *Ferberus*, *Iohannes a Curiis*, *Gieſius*, primus Thorunienſis, caeteri Gedanenſes. *Eberhardus Ferber*, *Ioh. a Verden*, & *Adrianus de Linda*, Conſules Gedanenſes, fuerunt Capitanei, ille Dirſauienſis, iſte Neoburgenſis, hic Mirachouienſis, *Kempenius* pariter Gedanenſis Conſul Barualdenſis, *Abrahamus Iacobſen* & *Gerhardus a Proenen* eiusdem vrbis ciues, ille Tiegenhofenſis, hic Sobouicenſis *tenutarii:* vt plura exempla omittamus. Cum vero *Gerhardus a Proenen* in ius vocaretur, quaſi non nobilis inique *tenutam* poſſideret, ſecutum eſt decretum Regium, quo ipſi, vt ciui, ius Regia bona habendi aſſertum. HIST. PR. *T. VI. p. 201.* Metuebant tamen ciuitates, ne ſuis, omnis ad dignitates, Capitaneatus & tenutas, praecluſus videretur aditus, cum in diplomate *Vladislai IV.* quo Is ius indigenatus firmat, de equeſtris Ordinis Terrarum Pruſſiae incolis & indigenis ſermo eſſet, HIST. PR. *T. VI. Doc p. 156.* ac ſi indigenatus ad ſolum equeſtrem Ordinem pertineret, inde illarum ablegati in publico conuentu, ſolenni contradictione, antiquum ius tueri non omiſerunt, ne aliquando *Reſcriptum* illud Regium aduerſus ciues ſuos allegaretur. HIST. PR. *T. VII. p. 8.*

9 Eſt hoc omnium priuilegiorum, quae Pruſſi Poloniae Regibus debent, primum, datumque iis a *Caſimiro Iagellonide* a. 1454. cum Se Eidem Eiusque ſucceſſoribus ſubiicerent. *Incorporationis* habet nomen, quod cum *incorporationem* tum conditiones, quibus Pruſſi Regno Poloniae, vt vulgo loquimur, *incorporati*, recenſet, eſtque reuera *pactum deditionis* Terrarum Pruſſiae, vt aliquando ab Ordinibus appellatum inuenimus. HIST. PR. *T. II. Doc. p. 2.* Occupat illud inter *Iura municipalia Terrarum Pruſſiae* ſecundum locum, eiusque titulus falſo *reciprocae ſponſionis* inſcribitur, in libello quem de *Iure prouinciali Terrarum maiorumque ciuitatum Pruſſiae, a. 1574.* STANISLAVS KARNKOVIVS, eo tempore Vladislauienſis Epiſcopus, edi curauit. In hoc priuilegio, ius, quo indigenae in dignitatibus & bonis Regiis, extraneis praeferuntur, deſcribitur. *Omnes Praelatos*, inquit Caſimirus IV. *militares*, *nobiles*, *ciues & incolas terrarum Pruſſiae*, *in ius, conditionem & proprietatem Regni Poloniae translatos & inuiſceratos*, *hac etiam proſequemur praerogatiua*, *quod dignitates & officia hactenus illis conſiſtentia*, *in poſterum conſtituenda*, *item caſtra & tenutas ciuitatum & locorum in terris praedictis*, *nulli extraneo aut forenſi*, *ſed proprio indigenae*, *iuxta obſeruantiam aliarum terrarum Regni noſtri conferemus.*

10 Ius indigenatus, Reges ſuis litteris ſaepius firmarunt. Caſimirus IV. cum aliquot

aliquot arces in Pruſſia Polonis commiſiſſet, vt illas ab hoſtibus tuerentur, promiſit easdem bello finito, illis collatum iri, quibus per priuilegium incorporationis conferri deberent, addiditque, noluiſſe Se hoc facto, de priuilegio iſto aliquid derogare, ſed velle potius, vt ſaluum & illaeſum perpetuis temporibus obſeruetur. IVRA MVNICIP. TER. PR. Sigismundus I. euecto ad Caſtellanatum Gedanenſem Balinſcio, Polono, verbo Regio declarabat, mentem ſuam non fuiſſe, eo priuilegio infringere aut tollere, neque Pruſſiae conſiliarios, Balinſcium Caſtellanum recipientes, ab illis ſuis priuilegiis receſſiſſe, aut prouinciam in ſuis immunitatibus damnum paſſam cenſeri debere. IVRA MVNICIP. *tit. Cautio Sigismundi.* Caeteri Reges non minus ſuis cautionibus, imo & diplomatibus ſeorſum datis, integritati iuris indigenatus proſpexerunt, quae ſigillatim recenſere, nimis longum foret.

11 Impleuit hoc ſuum promiſſum ſtatim poſt coronationem indulgentiſſimus Dominus, dato Cracouiae d. 20. Ianuarii a. 1734. diplomate, quo cum caeteris, tum auito indigenatus iuri, nouum acceſſit firmamentum, cauetque ac ſpondet Rex Sereniſſimus: „quod dignitates tam ſpirituales, quam ſaeculares, caſtra, „officia, beneficia, tenutas ciuitatum & pagorum, omniaque bona in Terris Pruſ- „ſiae exiſtentia, vacantia & vacatura, nonniſi veris, natiuis, propriis & indubita- „tis indigenis terrarum Pruſſiae, de Se & Republica bene meritis dabit & confe- „ret, idque ſub nullitate priuilegiorum, ipſaque incapacitate ad malam informa- „tionem ſecus obtinentium; quodque ob validius & firmius robur, contrariae a „Diuis Praedeceſſoribus, ad malam informationem datae collationes, in ſeque- „lam, exemplum & allegationem a nemine trahi, nec in quopiam iuribus indige- „natus praeiudicare & derogare poſſint.

12 Poteſt enim dignitate & bonis Regiis, aliis cedi, non tamen ſine Regio conſenſu: ſi ergo tale quid fieret, ab indigena, in gratiam extranei, negabit Regia Maieſtas conſenſum.

13 Contradixerunt Pruſſiae Ordines perpetuo, tum in conuentibus ſuis generalibus, tum per Nuncios ſuos in Comitiis, quoties aliquid in ius indigenatus admiſſum: quod cum factum ſit ſaepiſſime, volumen conficeremus, ſi ſingula exempla deſcribere conaremur, quae cum ſatis diligenter in Hiſtoria Pruſſiae a nobis notata, lectores eo remittimus. Vnum tamen anni 1668. in medium adferemus, vt ſtatim cuiuis pateat, Pruſſorum ſtudium imo feruor, quo indigenatum aſſerere ſuſtinuerunt. Et receperat ille eo tempore non vnum vulnus, *Vexilliferatu Culmenſi*, Capitaneatibus *Suecenſi*, *Tucholienſi*, *Borzecheuienſi*, & *tenutis Vielka łąka*, & *łopatki* exteris collatis, quare Ordines, hanc totius prouinciae cauſſam, nunciis ſuis ad Comitia ita commendabant, „vt ſi vanae forent preces, „omni ope anniterentur, quo, quae non indigenis collata, pro irritis haberentur, „quod officium ipſi pro fide, honore, conſcientia ita agerent, vt non prius cede- „rent, donec caſſationem collatorum & collationem veris indigenis obtinuiſſent, „imo nullam admitterent materiam, neque continuari paterentur publica conſilia, „niſi obtenta ſatisfactione ſufficienti: etiamſi aliquod diſcrimen inde comitiis ſub- „oriri poſſet; quod melius eſſet comitia perdere reſarcienda, quam iura nunquam „reditura praecipitare, & virtutem detracta debita dote ſuffocare. Raro tamen obtinuerunt Pruſſi, vt exteris adimerentur, quae ipſis contra ius indigenatus collata, niſi quod tempore *Sigismundi I.* Palatinus Plocenſis Capitaneatu *Meuenſi*, ſub *Sigismundo III. Opalenius* Oeconomia *Roggenhuſana*, & poſt *Vladislaum IV.* ante noui Regis electionem, *Oſſolinius* ſupremus Regni Cancellarius, *Pucenſi* capitaneatu ceſſit. Quae exempla alio loco *in* HOD. FACIE REIP. PRVT. §. 78. allegauimus.

§. XL.

PRVSSI A VECTIGALIBVS IMMVNES.

Commercia incolarum Pruſſiae, ſimul vrbium & oppidorum huius prouinciae, quod iuxta mentem priuilegii incorporationis a. 1454. ab omni vectigali, tam terreſtri, quam fluuiali, immunia erunt [1], & praecipue in camera Fordanenſi [2], Reipublicae promittimus.

1 Priuilegium *incorporationis*, non tantum in Pruſſia quaeuis telonia tollit, ſed & deinceps inſtituere vetat. *Omnia telonia*, inquit, in illo Caſimirus IV. *in aquis & terra, noua aut antiqua obſeruantia, in terris duntaxat Pruſſiae quomodolibet conſtituta, Regia munificentia tollimus, abrogamus, deponimus, ac ſolutionem illorum perpetuis temporibus reſoluimus, dimittimus & relaxamus, nullo vnquam tempore, per nos & ſucceſſores Poloniae Reges, ex quacunque cauſſa inſtituenda aut imponenda.* Imo ante factam Regi Poloniae deditionem, ex *Culmenſi Priuilegio*, Pruſſia hac immunitate gaudere debebat, qua ipſi tamen, ſub Magiſtris Ordinis Teutonici frui haud licuit. Neque, dum Regibus paruerunt Pruſſi, ius hoc integrum manſit, cum diuerſis temporibus, cum terra, tum in fluuiis vectigal exigeretur. Exempla in DISSERT. *de Norma regiminis Prut.* §. 56. vt & in altera, *de hodierna facie Reip. Prut.* §. 72. congeſſimus. Non tamen defuerunt Ordines, quo minus libertatem ſuam tuerentur, modo enim ſuas ad Regem detulerunt preces, modo ius ſuum allegarunt, modo ſolennem contradictonem oppoſuerunt, modo nouis ſcitis vetus priuilegium roborarunt. De ſingulis praeter allegatas DISSERT. *l. c.* PRVSSIAE HISTORIA adeunda. Nouiſſime in conuentu Graudentinenſi a. 1730. per *laudum*, in futurum prouiſum, „vt vnicuique inco- „larum liberum ſit commercium, absque vlla praepeditione, aut ad Fordanum, „Brodnicae, in Krobie, & aliis in locis confinibus teloniorum exactione, & abs- „que vlla intra fines Pruſſiae mercium, ſiue a ciuibus & incolis, ſiue ab extraneis „vehantur, reuiſione. In caſum vero, quod ſi exactores teloniorum, dictis in „locis, incolas harum terrarum vlterius turbare, ab iisdem telonia exigere, aut „reuiſiones aliasque quasuis depactationes facere auderent, Illuſtr. & Excellentiſſ. „Dominis Palatinis committitur, quatenus ſecuritati publicae inuigilando, adhi- „bito milite, ex repartitione ad haſce Terras Pruſſiae pertinente, vel etiam, ſi „neceſſitas id poſtulauerit, mota vniuerſa harum terrarum nobilitate, eiusmodi „praeiudicioſiſſimis hiſce terris attentatis ſe opponant, & auitam harum terrarum „libertatem ab omnibus teloniis vindicent, cameras teloniorum, in fundo terra- „rum harum, contra iura vel iam inſtitutas, vel quae adhuc inſtituere velint, vbi- „cunque locorum abrogent, impediant, nec etiam vlterius in ciuitatibus Superin- „tendentes, reuiſores aut alios officiales teloniorum, morari patiantur &c.

2 Non tantum omnibus vectigalibus, in ipſa Pruſſia, ſed & nouis in Polonia Pruſſos liberat, & antiquis tantum ſubmittit, dictum *incorporationis* priuilegium. Quoties ergo ſiue vetera aucta, ſiue plane noua decreta, ſuam immunitatem vetuſto iure defendere, non omiſerunt Ordines. Fordanenſe, cuius in pactis fit mentio, eſt vnum ex illis recentioribus, a Fordano, quod loci nomen eſt, dictum, ſub Sigismundo III. a. 1592. in terris Poloniae ad Viſtulam, prope Pruſſiae fines conſtitutum: Longae diſceptationis ac multarum querelarum cauſſa, quas

ſuo ordine, ſuisque locis, PRVSSIAE recenſet HISTORIA, multa & in hanc rem vno quaſi faſce exhibet IOH. ERN. *de* LINDA, Conſul, dum viueret, Gedanenſis, ac rerum Pruſſicarum doctiſſimus, in *Sicilimentis* ad epiſtolas ZALVSCIANAS, nomine LIPINSCII editis, *p. 38. ſ.* Exemti tamen hoc vectigali Pruſſi, *Sigismundi III. Vladislai IV.* & *Iohannis III.* litteris, ipſumque telonium ante aliquot annos plane eſt ſublatum.

§. XLI.

DE MODO IN IVDICIIS SERVANDO.

In iudiciis comitialibus, poſtcurialibus & aliis, cauſſas omnes, ita vti ex regeſtro obuenient, non immutando earum Ordinem, iudicabimus [1], & nihil in praeiudicium iuſtitiae & iniuriatorum faciemus, conformando ſententiam noſtram ad pluralitatem votorum [2], quae ſtatim in triduo, ſine depactatione vel immutatione, partibus in debita forma & ſecuritate extradi debet [3]. Iudicia quoque Curlandiae [4] in terminis circumſcriptis, praeuiis intimatorialibus, non praetermittere declaramus.

1 In PACTIS *Michaelis, Iohannis III.* & *Augusti II. §. Na Sądach* pariter prouiſum, vt cauſſae eo ordine, quo in regeſtro ſcriptae, iudicentur, & ratio eſt, ne propter diuerſum in partes ſtudium, aliae aliis, aut praeferantur, aut poſtponantur. Eſt autem *regeſtrum*, index cauſſarum, ſancitque *ordinatio* iudiciorum poſtcurialium, CONST. *a. 1683. p. 8.* vt omnes cauſſae tempeſtiue, ad minimum pridie iudiciorum celebrandorum inſcribantur, ac Notarius decretorum easdem, in idem regeſtrum, ordine, ſine delectu, prout quis prius detulerit, referat, neque ordinem illum perturbet, iudicia autem, eorumque Praeſides, non niſi ex eodem regeſtro, ordine illo, quo inſcriptae, ſuperiores non omittendo, inferiores non praeponendo, acclamari mandent, easdemque vt acclamatae, iudicent, non attenta quauis & quarumuis perſonarum inſtantia, aut ſecundum dignitatem perſonarum, aut differentiam cauſſarum, ſed ad ordinem & numerum regeſtri, prout quis prior aut poſterior inſcriptus, decidant. Et *proceſſus iudiciarius* in Comitiis a. 1611. probatus, & illius anni CONSTITVTIONIBVS additus praecipit, *Poſtępek prawny* ad calcem Conſt. *a. 1611. p. 11. tit. ſprawa u ſądu*, „cauſſas omnes, tam vltimae inſtantiae, quam inferiorum ſubſelliorum, ad *regeſtrum* „ſecundum numerum ſcriptum, ſine diſtinctione perſonarum iudicari. Vt autem cauſſae non ſunt vnius generis, ſic & varia ſunt *regeſtra*, habetque quoduis genus ſuum *regeſtrum*, vt habet ſuum diem, quo *acclamatur*.

2 In iudiciis relationum, vbi Rex, ſi ſententiae diuerſae, plurimorum amplectitur, vt ad eam decretum ſcribatur: quod vt fiat, PACTA *Michaelis* & *Augusti II. §. c.* pariter exigunt.

3 Addunt PACTA *Michaelis, Ioh. III.* & *Augusti II. §. c.* ne decreta ad cameram Regiam, vt immutentur, portare fas ſit, ſub poenis in legibus Regni deſcriptis. Praeter illa, & tridui mentionem facit allegata poſtcurialium iudiciorum ORDINATIO *p. 9. Depactatio* autem ideo interdicitur, ne quid vltra quam conſtitutum eſt, exigatur.

4 In cauſſis ſcilicet, per appellationem ad Regia iudicia delatis: quod & de iudiciis Curlandiae ſanciunt PACTA *Augusti II. §. cit.*

§. XLII.

IVDICIA POSTCVRIALIA.

In iudiciis poſtcurialibus [1] ſecundum praeſcripta iura Henriciana [2], ex ſententia Dominorum officialium [3], apud Nos exiſtentium, procedemus, deliberationes tertio die abſoluemus, & omnes cauſſas ſuperiores, nondum deciſas, expediri curabimus [4].

1 Sunt iudicia Regia, quae in aula habentur, dicunturque alia aſſeſſorialia, alia relationum. PACTA *Vladislai IV.* quibus primum, caput hoc de iudiciis inſertum eſt, vt & *Iohannis Casimiri §. w Sądach*, generatim de iudiciis loquuntur. *Michaelis* tempore iudicia illa, in pactis poſtcurialium nomine ſignari coeperunt, quae appellatio in ſequentibus §. *w Sądach*, ſeruata.

2 *Vladislaus IV.* Eiusque ſucceſſores, allegant *pacta Henriciana*, quae *Augustus II.* iura vocat, quodque vocabulum AVGVSTVS III. repetit. Nihil tamen de iudiciis, *Henrici* pacta continent, neque Illius *articuli*, ſaepius a nobis citati, & qui forte per pacta & iura Henriciana intelliguntur, aliquam iudiciorum formam ſcripſerunt: niſi ea, quae de dicendis ſententiis, in iſtis *articulis* vniuerſe ſtatuuntur, & ad iudicia referenda ſunt, ſcilicet, „ſi Senatores diſſentiant, Regem per Se nihil poſſe decernere, ſed dandam ipſi operam, vt omnes „vni ſententiae accedant, conſiderando omnia illorum argumenta, quae iuribus, „communibus libertatibus, & maiori Reipublicae commodo conueniant, & priuilegiis, iuribus ac libertatibus omnium terrarum contraria non ſint: ſi vero ad „vnam mentem induci haud potuerint, tunc illorum ſententiam eſſe recipiendam, quae quam proxima ad libertates, iura & conſuetudines, ſecundum leges „vniuscuiusque terrae, & commodum Reipublicae accedat: exceptis cauſſis „comitiorum, quae ad antiquam conſuetudinem, ſcitu & conſenſu omnium ordinum, peragi debent. VOL. CONST. *p. 254. §. Często się.* Ad hos *articulos*, ſeu *iura Henriciana* ſine dubio reſpicitur, quando *Sigismundi III.* cui contrarium obiectum fuerat, nomine reſpondetur: „in ſententiis Senatorum, vbi diſcordes „fuerint conciliandis, Regiam Maieſtatem ea vti moderatione, vt non ante, vel „Senatus conſultum perſcribi, vel in priuatorum cognoſcendis iudicandisque „cauſſis, decretum fieri decernat, quam diſſentientium ſententias, iteratis earum „rogationibus, ſimiles & conformes efficiat. LVBIENSCIVS *Oper. p. 52.* Vſu tamen obtinet, non vt Rex in relationum iudiciis, quibus ipſe praeeſt, diuerſas ſententias Senatorum componat, eamque probet, quae iuribus maxime congruat, ſed vt maiorem idem cenſentium numerum ſequatur: quod & ſequens §. docet.

3 Pacta ſuperiorum Regum a *Vladislai IV.* praeter Officiales & Senatores legunt, quod vocabulum praeſentibus caſu excidiſſe videtur. Aſſident enim Regi in iudiciis *relationum* Senatores, huiusque Ordinis Miniſtri, aſſeſſorialia,

praeſide Cancellariorum altero, ab *officialibus* vt dicuntur, Referendariis ſcilicet, Regente Cancellariae, Secretariis Regiis ac Notario Decretorum peragi ſolent.

4 Habentur eadem, in memoratis, quae praeceſſerunt, pactis.

§. XLIII.

IVDICIA RELATIONVM.

Iudicia relationum [1] non praetermittemus, quin imo accelerationem eorum per interualla [2], promittimus, notarioſque in his cauſſis, iuxta antiquam praxin conſeruabimus, ipſaque decreta, per pluralitatem votorum Senatoriorum [3], conſcribi curabimus.

1 Eſt iudicium *relationum* in aula ſummum, vltimaeque, vt vocamus, *inſtantiae*, quamuis & aſſeſſoriale vltimae *inſtantiae* dici poteſt, quod ab illo non promiſcue appellationes conceduntur, ſed tum demum, quando Cancellarius appellationem, quod ſit rarius, *admiſſibilem* habuerit, aut ſi ipſe vltro cauſſam ad *relationis* iudicium remiſerit. „Iudicia Cancellariorum, inquit LVBIENSCI„VS *in paraeneſi ad Vice-Cancellarium Zamoiscium, Oper. p. 218.* ſummae olim pot„eſtatis erant, vltro tamen appellanti Regem parti, ob reuerentiam Principis in„terdum deferunt, niſi vel cauſſa ſimilis iudicata fuerit, vel binae conformes in„feriorum ſubſelliorum ſententiae praeceſſerint, vel denique res, de qua lis eſt, mi„noris pretii & aeſtimationis fuerit. Praeſidet relationum iudicio Ipſa Maieſtas Regia.

2 Non enim ſunt continua relationum iudicia, ſed per temporum interualla aguntur, ſolentque edici, quando habenda.

3 Aſſident Regi in his iudiciis Senatores, & Senatorii Ordinis Miniſtri, vt modo dictum.

§. XLIV.

REX IN IVDICIIS NVLLIVS CAVSSAM SVSCIPIAT.

In omnibus cauſſis, ad quaeuis ſubſellia inter conciues Regni & M. D. Lituaniae interuenientibus, contra iniuriatos inſtantias non dabimus [1].

1 Hoc caput, primum *Auguſti II.* PACTIS §. *w ſprawach*, inſertum, illo tantum diſcrimine, quod Regiae inſtantiae nulli parti ſubuenire debeant. Et eſt ſanciti ratio, ne iniuriam paſſi, fruſtra iure experiantur, ſi Princeps aduerſae partis cauſſam agat.

§. XLV.

§. XLV.

BONA OECONOMICA, ALIAQVE MVNIA SOLIS NOBILIBVS POSSESSIONATIS MANDENTVR.

Bona noſtra oeconomica [1] & Capitaneatus [2], Salisfodinas [3], Metricas [4], Regentias, Regni & M. D. Lituaniae [5], Secretariatus, [6] Notariatus Camerae & Theſauri [7], & in genere adminiſtrationes & luſtrationes Theſauri [8] non dabimus, neque telonia vectigalia cameras [9] locari non permittemus, niſi perſonis ordinis equeſtris, vtriusque gentis mere poſſesſionatis [10], ſub poena duorum millium marcarum Polonicalium & nullitate contractus, in eos, qui ſiue plebeiae conditionis, ſiue Iudaei [11] fuerint, eiusmodi contractus quaeſiuerint, aut obtinuerint, ad inſtantiam cuiusuis Nobilis, in quolibet foro [12], ex regeſtro fiſci [13] vindicanda.

1 De dignitatibus & publicis muniis, Nobilibus tantum mandandis, actum ſupra ad §. *XVII.* iam aliquot muniorum ſpecies ſigillatim recenſentur, ad quae ſoli equites admittendi, & in quo PACTA *Michaelis* §. *Cudzożiemcow ani nikogo; Iohannis* §. *Cudzożiem. ani nikogo;* & *Auguſti II.* §. *Dobr Naſzych*, praeiuerunt. Primo occurrunt bona oeconomica, ſimul menſae Regiae dicta, quod reditus ex illis, menſae ſeu rei familiari Principis deſtinati. Non enim Poloniae Regi promiſcue ex omnibus terris colliguntur prouentus, verum ſelectae per legem aliquot, vnde ſumtibus Eius domeſticis ſubueniatur. Quae in Polonia & Pruſſia, oeconomica bona, recenſentur CONST. *a. 1590.* VOL. CONST. *p. 577. tit. Rationes ſtolu*, ſcilicet, Capitaneatus Sendomirienſis & Samborienſis, cum Ozimina & Medenice, magna procuratio Cracouienſis, Oeconomiae Mariaeburgenſis & Rogosnenenſis ac Tenuta Dirſauienſis. In Lituania menſae Regiae aſſignatae ſunt, terrae Grodnenſis, Szavlenſis, Brzeſtenſis, Kobrynenſis, Mohilouienſis & Olitenſis. VOL. CONST. *p. 530 tit. Ordinatio.* Hae oeconomiae integrae ſeruandae, neque totae, neque per partes, niſi Reipublicae conſenſu, quocunque modo alienandae, neque penſionibus annuis onerandae. In eam rem de magna procuratione Cracouienſi ſingulares *Vladislai Iagellonidae* exſtant litterae. LASCO *Stat. f. 84.* Cuius frater & ſucceſſor *Caſimirus*, idem de terra Sendomirienſi ſanxit, ſeueriori in eum addita poena, qui dictam terram, aut integram, aut partem aliquam, ſibi collatam receperit, „vt ſcilicet habeatur laeſae Maieſtatis laeſaeque Reip. reus, Regisque & „Regni Poloniae publicus hoſtis & fraudator; vtque Rex, nec minus Regni conſi„liarii facultatem habeant, hominem tam impium & ambitioſum, a praefata ter„ra Sendomirienſi, caſtro, ciuitate, oppidis & villis, aut parte earum, quamcun„que occupauerit, absque omni iure & ſtrepitu iudicii amouendi & expellendi, „tanquam communis boni hoſtem & perturbatorem. LASCO. *Stat. f. 85. p. 2.* Generalius tempore *Alexandri*, in Comitiis *Petricouienſibus* anni 1504. interdictum: „bona menſae Regiae, niſi in Comitiis, pro Reip. necesſitate, ac conſilia-

„riorum conſenſu, obligare, donare vel inſcribere, ſub amiſſione honoris & pe- „cuniae, ſi qua dictis bonis contra mentem ſtatuti inſcriberetur. LASC. *Stat. f. 114. p. 2.* Hoc Alexandri ſtatutum firmauit *Sigismundus Auguſtus* a. 1562. „ac „omnes, quae illud ſecutae, donationes, feuda, venditiones, fundationes & „reditus annuos, ſpiritualibus quocunque modo inſcriptos, quod iuri communi „aduerſantur, tollit & pro irritis habet. VOL. CONST. *p. 16. tit. O ſtatucie Krola Alexandrowym. Sigismundus III.* vetuit oeconomias penſionibus onerari, aut in aduitalitatem concedi, aut infra iuſtum pretium locari. VOL. CONST. *p. 577. tit. Rationes.* Nec minus Vladislaus IV. penſionibus & donationibus conſtitutione occurrit, ac vterque poenam a Caſimiro IV. olim conſtitutam, ac antea memoratam, illis irrogari voluerunt, qui ſibi in diminutionem prouentuum Regiorum priuilegia dari paſſi fuerint. CONST. *a. 1633. p. 31. tit. Ekonomie.* Denique, ne plura cumulemus, a. 1635. 1638. & 1641. donationes omnes, aduitalitates, leuiores arendae, & penſiones annuae ſub poena priuationis, triplicis penſionis & peculatus tolluntur. CONST. *a. 1635. p. 6. tit. O dobrach; a. 1638. p. 3. tit. O Ekonomiach; & a. 1641. p. 1. tit. dobra.* Bona haec oeconomica per conſtitutionem a. 1638. plus offerentibus, modo Nobiles ſint, locari debebant, niſi quod in Capitaneatibus iurisdictionem habentibus, prouentus in quinque partes diuidendi, quarum tres menſae Regiae cederent, ex binis reliquis altera in quartam erogaretur, alteram adminiſtrator Capitaneatus in ſtipendium retineret, magnam tamen procurationem Cracouienſem integram, ſine aliqua redituum imminutione relinqui placuit. CONST. *a. 1638. tit. O Ekonomiach p. 4.* Per CONSTITVTIONEM vero a. 1641. *tit. Dobra ſtolu p. 2.* conceſſus eſt bonorum Regiorum adminiſtratoribus, decimus groſſus, ex cenſu qui Regi penditur, ac decimus quisque manipulus ex agris: certis tamen terris in Capitaneatibus cum iurisdictione, pro ſumtibus in adminiſtrationem iuſtitiae aſſignatis. At anno 1670. CONST. *p. 23. tit. O Ekonomii.* Notario Theſauri curiae Regni, bona menſae Regiae, praeuio iuramento fidelis adminiſtrationis, committuntur, vt plus offerentibus eadem locet, ſalua praerogatiua Theſaurariorum vtriusque gentis, ſaluisque contractibus per conſtitutiones approbatis.

2 Non alii intelliguntur Capitaneatus, quam qui partem bonorum Oeconomicorum conſtituunt, vt ſunt, Sendomirienſis & Samborienſis; quare & inter terras menſae Regiae, Capitaneatus cum iurisdictione memorantur, vt patet ex nota proxime praecedenti.

3 Poloniam ſalis eſſe feraciſſimam, illumque effodi notum eſt. Ad Regiam menſam pertinent fodinae Cracouienſes, Olcuſſienſes, & Ruſſiae. VOL. CONST. *p. 577. tit. Rationes.* Locantur hae vt caetera bona Oeconomica adminiſtratoribus annuo cenſu, qui, quo integer ſine vlla diminutione ſeruetur, lege prouiſum, „vt ſi quis ex fodinis penſiones ac donationes, ſiue ſale, ſiue pecunia, impetrauerit, „aut adminiſtrator impetratas praeſtiterit, tam ille, quam hic, poenam decem „millium marcarum parti & iudicio per dimidium ſoluendam, ad inſtantiam in- „ſtigatoris, aut nuncii terreſtris ex quocunque Palatinatu in Comitiis ſubeant. CONST. *a. 1638. tit. Ekonomiach. p. 4.*

4 Metricae ſunt libri Cancellariae, de quibus Statutum *Sigismundi I.* exſtat, vt Cancellarius & Vicecancellarius, ipſi ſoli libros eosdem in ſua cuſtodia diligenter aſſeruent, habeantque ſemper vnum vel duos Notarios vel ſcribas iuratos, qui omnia priuilegia, decreta, recognitiones & alia, quae ad neceſſitates & ſecuritates hominum coram Rege fiunt, & ſub ſigillis Regiis conceduntur, ſincere & fideliter

fideliter in libros huiusmodi ſeu regeſtra inſcribant. PRIL. *Stat. p. 202. & Statuta Sigismundi I. p. 89.* Habet ſuas metricas tum maior tum minor Cancellaria, idque non tantum in Polonia, ſed & in Lituania, obtinet. Metricae vetuſtae ſeu libri Cancellariae memorantur a Sigismundo III. *in* VOLVMINE CONST. *p. 861. tit. O metrykach.* Notarii qui ſcripta in Cancellariae libros referunt, ac inde petentibus depromunt, *metricantes* vulgo appellantur, eſtque alius maioris, alius minoris Cancellariae. Addimus, metricas in pactis *Iohannis III.* non memorari, occurrere tamen in *Michaelis & Auguſti II.*

5 Habent binos Regentes Cancellariae in Regno & Lituania, alterum maioris, alterum minoris, ſacri alterum, alterum ciuilis Ordinis. Sunt autem Regentes primarii Cancellariorum adminiſtri: Reſcripta Regia, litteras & alia, quae ex Cancellaria prodeunt, aut ipſi componunt, aut ſi a *Secretariis* compoſita, relegunt, expendunt, corrigunt; Cancellarii nomine Regi quae ſubnotanda, exhibent, quae ſibi ab illo commiſſa, Principi exponunt, huiusque voluntatem Cancellariis renunciant.

6 Sunt Secretarii plurimi, duo tamen eminent, alter Regni, alter Lituaniae, vterque ordinis ſacri, qui Secretarii maiores ſeu ſupremi dicuntur. Primus in Regno a. 1504. ab *Alexandro* inſtitutus eſt, eiusque iura in peculiari Statuto deſcribuntur, „vt ſit ſemper vnus, ſciens ſecretas expeditiones publicas, vt „ad ea intromittantur ſecreta, quae Cancellario & Vicecancellario Regni panden- „tur, vtque ſit expectans primus praelaturarum, dignitatum beneficiorumque, „immediate Cancellario Regni & Vicecancellario in talibus officiis ſucceſſurus. LASCO *Stat. f. 113. p. 2.* PRIL. *Stat. p. 181.* In Lituania Secretariatus maior recentiori tempore coepit. Ambo omnes, qui ſunt extra Senatum, ordine praecedunt.

7 Notarius camerae, Regi eſt ab epiſtolis priuatis, quibus ſigillum camerae, quod ipſe aſſeruat, imprimitur. Theſauri & quidem Regii notarius, reditus ac ſumtus Regios in tabulas refert, rationesque Theſaurariis exhibet.

8 Intelligitur priuatus Regis Theſaurus, ne poſtpoſitis Theſaurariis, illius cura exteris aut plebeiis committatur, aut ab his in eius rationes inquiratur.

9 Vectigalia & telonia vetera menſae Regiae adiecta: inter illius enim reditus, Regni, Ruſſiae, Plocenſe & Lituaniae antiqua telonia recenſentur. VOL. CONST. *p. 577. tit. rationes p. 500. tit. ordinatio.* Camerae vero ſunt domus illae, vbi a tranſeuntibus vectigal penditur, quae vulgo camerae teloniariae vocantur.

10 Niſi forte legendum *vere* poſſeſſionatus, ſed habent illud *mere* & *Michaelis* ac *Auguſti II.* PACTA §. c. at in *Iohannis III.* dicuntur *bene* poſſeſſionati. Telonia autem Nobilibus bene poſſeſſionatis locari, CONST. anno 1685. *p. 19. tit. Deklaracya* ac alia a. 1703. *p. 27. tit. auctio*, eadem a Nobilibus bene poſſeſſionatis adminiſtrari, vtque ſcribae in cameris, non alii quam tales ſint, iubet. Et licet leges illae de Reip. vectigalibus, non de iis, quae partem redituum Regiorum conſtituunt, loquantur, cenſentur tamen eodem iure, ſi de adminiſtratione ſermo inciderit, adeo vt aegre latum, quando exteris Regia vectigalia locata fuerunt. Ergo vt ad caetera, quae praeſenti capite recenſentur munia, ſic & ad teloniorum curam, ſoli Nobiles vtriusque gentis, & quidem poſſeſſionati admittendi, ita tamen, vt reliquarum prouinciarum, Poloniae & Lituaniae iunctarum,

rum, nobiles non arceantur, quare in pactis *Michaelis*, *Iohannis III.* & *Augusti II.* annexae prouinciae expresse nominantur.

11 Si ex frequentia & negotiandi libertate Iudaeorum colligenda esset felicitas, Polonia recte illorum diceretur paradisus, quo vocabulo appellatam a nonnullis meminimus. Diffusi enim per vrbes, oppida & vicos Poloniae ac Lituaniae, commercia, opificia, tabernas & cauponas exercent, simul Procerum & Nobilium rem familiarem curant, vt nihil rite emi ac vendi posse videatur, nisi Ebraeo aliquo internuncio ac interprete. Fauebant illis admodum *Iohannis III.* tempora, vt & ipsum Principis palatium pateret, versante in eodem *Bethsale* Iudaeo, quasi altero Mardachaeo, Reginae inprimis gratia florente ac valido. Cuius potentiam Bizardiervs Gallus, suo sermone in libello *de scissione Poloniae, scission de la Pologne*, statim post initium descripsit. Conduxerat is Regia vectigalia, quae ipse procuranda concesserat suae superstitionis sociis, sed molestissime ferebatur, Christianorum merces & facultates, rigidae Iudaeorum exactioni, vt est gens lucri auidissima, submitti. Inde viuente Rege erupit indignatio, & & post *Illius* mortem, successoris *Augusti II.* Pactis §. *c. Dobr Naszych*, primum insertum, ne telonia Iudaeorum, quibus id legibus vetitum, administrationi committantur. Et exstant hac de re in Iudaeos antiquae leges. *Sigismundus I.* inuiolabiliter obseruandum statuit, Iudaeos teloniis quibuscunque praefici non debere, neque posse: indignum & iuri Diuino contrarium censens, eius generis homines aliquibus honoribus & officiis inter Christianos fungi debere. Pril. *Stat. p. 367. Stat. Sigismundi I. p. 83.* Quod Statutum *Sigismundus Augustus* Vol. Const. *p. 28. tit. O Zydżiech*, probauit. A. 1565. ne quis in suo Palatinatu Iudaeorum telonio praeesse permittat, poena centum marcarum edicitur: Vol. Const. *p. 98 tit. Zeby cet*, per Constitvtionem vero a. 1647. *tit. Ordynaryyne p.* 2. in Iudaeos ob eandem caussam confiscatio bonorum decernitur. Denique Const. 1703. *p. 7. tit. auctio subsidiorum.* Iudaeorum capita declarat inuindicabilia, si sub quocunque praetextu ad telonia admittantur.

12 Superiora Pacta §. *cit* caussas has solis iudiciis Tribunalitiis submittunt, praesentia quoduis forum assignant.

13 In quo caussarum indice, illi scribuntur, qui repetundarum accusantur.

§. XLVI.

DE PRAEFECTVRIS PRAESIDIORVM IN OECONOMIIS.

Praefecturas praesidiorum, in bonis nostris, in vrbibus, arcibus & propugnaculis, Regni, M. D. Lituaniae & prouinciarum annexarum [1], non plebeiis personis; sed nobilibus, possessionatis & bene meritis [2] dabimus.

1 Est sermo de bonis Oeconomicis, illisque in iis locis, quibus praesidia imponenda, ne extranei aut plebeiae conditionis praeficiantur, quod non minus in Pactis *Michaelis, Iohannis III. §. Cudzożiemcowani* & *Augusti II. §. Dobr Naszych* vetitum.

2 Allegata superiorum Regum pacta addunt, qui commendati ex vtraque gente & annexis prouinciis a Ducibus exercituum fuerint, nisi quod in *Augusti II.* annexae prouinciae omittuntur.

§. XLVII.

§. XLVII.

OECONOMIAE NE AVGEANTVR.

Oeconomias ad mensam nostram pertinentes, sine speciali consensu Reipublicae non amplificabimus [1], nec nouos fines, ac fundos illis per potentiam administratorum vindicari permittemus [2], sed potius ad diiudicandas iniurias, commissiones concedere non grauabimur [3], exceptis pure auulsis [4].

1 Ne Oeconomiae sine Reipublicae consensu augeantur, a Vladislai IV. tempore, in Pactis §. *Ekonomii* prouisum, neque Se aucturum, potius nouas quas instituit, sublaturum, ante Vladislaum IV. Sigismundus III. per legem, Vol. Const. *p. 834. tit. O Ekonomiach*, promiserat. Idem a. 1635. per aliam Const. *p. 31. tit. Ekonomie*, vetitum, simul poena peculatus in eos decreta, qui nouam Oeconomiam conduxerit, aut administrauerit. Et restrinxerunt in hoc Regum facultatem Ordines, ne multiplicatis pro lubitu Oeconomiis, opes in libertatis discrimen excrescere viderentur: neque horum consensu veteribus nouas adiectas, potius illas imminutas fuisse reperimus; cuius rei exempla ad §. sequentem in medium proferentur.

2 Ergo fines veterum Oeconomiarum per vim extendere, illisque nouos fundos iungere haud licet; quod ante *Augustum II.* in pactis non legitur.

3 Eadem *Augusti II.* pacta, iniuriam passis, commissiones ad quamuis requisitionem, promittunt.

4 Intelliguntur quae non lege & Reipublicae consensu, sed a priuatis facto solo, bonis mensae Regiae subtracta sunt, quae administratoribus eodem modo recuperare licet.

§. XLVIII.

DE OECONOMIIS HAVD MINVENDIS.

Cum his Oeconomiis secundum iura [1] agemus, neque per vlla auulsa illegitime obtenta [2] minui patiemur, sed eas in administrationem aut arendam, tantum nobilibus, sitas scilicet in Regno, Regni; Lituanicas, Lituaniae, & annexarum prouinciarum, harum terrigenis dabimus [3].

1 Iura quae Oeconomiis scripta, ad §. *XLV.* (1) recensuimus. Haec vt obseruentur, Pacta a Vladislai IV. tempore §. *cit.* exigunt. Eadem salua esse iubent Const. a. 1670. *p. 23. tit. O Ekonomii*, & 1676. *p. 45. tit. Ekon. stolu*, nec minus omnes cautiones, in legibus, Constitutionibus & pactis conuentis, de integritate Oeconomiarum scriptae, per Const. a. 1717. *p. 64. tit. Redintegracya*, repetuntur.

2 De bonis mensae Regiae integre seruandis, dictum ad §. *XLV.* (1) Addimus Constitvtionem *a. 1717. p. 64. tit. Redintegracya*, qua decreta commissio

miſſio ad recuperanda, non obſtantibus reſcriptis & priuilegiis, quae Oeconomiis ademta, priuilegiis tamen, quae legitime collata, ſaluis. Et Reges *Michael*, *Iohannes III.* ac *Auguſtus II.* in ſuis PACTIS *§. cit.* promiſerunt, ſe nullas Oeconomiarum imminutiones, ne quidem minimas permiſſuros, imo ſine conſenſu Reip. auulſa, ordinaria iuris via recuperaturos. Poſſunt ergo illegitime auulſa dici, quae ſine conſenſu Reipubl. Oeconomiis ſubtracta, vt legitima ſunt, quae Reip. conſenſu innituntur. Et huius quidem generis dantur varia. Anno 1654. tenuta *Nouodvorenſis* ſeu *Tigenhofenſis*, Mariaeburgenſis Oeconomiae portio, *Chriſtophoro Gembitio*, ducentis millibus florenorum oppignorata. CONST. *a. 1654. p. 7. tit. Zaſtawa*, quae perſoluta dicta ſumma a. 1678. Regi *Iohanni III.* eiusque haeredibus, conſenſu Ordinum ceſſit. Tenuta *Berualdenſis*, alia Mariaeburgenſis Oeconomiae pars, iam *Sigismundi Auguſti* tempore, in manus priuatorum venit, in quibus, conſcia Reip. adhuc haeret. Collata *Paulo Teterae* in aduitalitatem ex Oeconomia *Breſtenſi*, in Lituania, bona, Ordines a. 1659. approbant, CONST. *1659. inter Lituanicas p. 14. tit. Aprobac. Przywileiu*, non obſtantibus quibusuis Conſtitutionibus, de non impetrandis bonis menſae Regiae. Iidem Ordines eodem anno, aliam donationem in aduitalitatem ex Oeconomia *Mobilouienſi* ratam habent. CONST. *c. a. p. 14. tit. Aprob. Przywileiu.* Tota vero Oeconomia *Szaulenſis*, a. 1661. Palatino Vilnenſi *Paulo Ioh. Sapihae*, octingentis millibus florenorum in pignus conceſſa : CONST. *a. 1661. inter Lit. p. 9. tit. Zaſtawa*, quae nondum ad menſam Regiam rediit, ſed data *Iohanni III.* redimendi facultate, ad eius haeredes transmiſſa. Ne tamen ex imminutis bonis Oeconomicis Theſaurus Regius iacturam ſentiat, ſolent ſubtracti reditus pecunia annua ex Theſauris Regni & Lituaniae, pro diuerſitate prouinciarum, in quibus Oeconomiae ſitae, rependi : vtriusque gentis Theſaurariis, lege publica obſtrictis.

3 Exigebat §. XVII. vt munia terrigenis indigenis conferrentur: §. XLV. Oeconomias nobilibus poſſeſſionatis ſeruabat, & praeſens diſtinctius Regni Oeconomias nobilibus Polonis, Lituanicas Lituanis, & caeterarum prouinciarum, earundem ciuibus locari praecipit: in quo pacta *Michaelis, Iohannis III. & Auguſti II.* ſequitur, quae idem poſtulant. Vt autem Poloni in Lituania, ſi ibidem poſſeſſiones habeant, Lituani viciſſim eo modo in Polonia obire poſſunt munia, ita & idem de adminiſtratione Oeconomiarum eſt tenendum. Pruſſi, qui ad *annexas*, vt appellantur, prouincias pertinent, ſuis ad Regni Comitia Nunciis ſaepius iniunxerunt, vt ſuarum terrarum Oeconomiae ſuis ſaltem indigenis locarentur.

§. XLIX.

QVAE BONA, PRO BONIS MENSAE REGIAE HABENDA.

Et quoniam ſub praetextu bonorum menſae Regiae, varia bona, quae ad menſam Regiam nunquam pertinuerunt, titulo auulſionis, ad iudicia poſtcurialia trahi ſolent, haec vero ſaepius ſub arbitra Maieſtate nutant [1]: ideo declaramus, haec tantum bona, ex natura ſui ad menſam Regiam pertinere debere, quae antiquitus ad illam relata ſunt [2].

1 *Sub arbitra*, inquiunt PACTA *Auguſti* II. §. *A ponieważ*, *Maieſtate*, *ſupremi iudicii per decretum ſaepius nutant:* quaſi ſtudio proferendarum Oeconomiarum, in iudiciis Regiis, ius redderetur ambiguum.

2 Quod ex PACTIS *Auguſti II. §. c.* repetitum, vbi ſimul omnes Capitaneatus & caetera bona Regia, quae ad Oeconomias nunquam pertinuerunt, a poſtulationibus Theſauri Regii, ipſiusque Regis, ſecura redduntur. Quae autem antiquitus ad Regiam menſam pertinuerint Oeconomiae, conſtare poteſt, ex duabus, quibus illae deſcriptae ſunt, conſtitutionibus, quasque ad *§. XLV. (1)* allegauimus, ſingularum autem partes finesque ex aliis monimentis cognoſci debent, eſtque illius probare, pertinuiſſe bona ad menſam Regiam, qui ea illi vindicare contendit.

§. L.

QVIBVS OLIM EX OECONOMIIS DONATA, SECVRE POSSIDEANT.

Donatarios omnes, iuxta tenorem iurium eorum, ab antiquo illis conceſſorum, in plena ſecuritate poſſeſſionis relinquemus [1], in Regno iuxta Conſtitutionem eo nomine deſcriptam, & in Lituania ſecundum eorum ſtatutum [2].

1 Aſſeritur donatariis ſecura bonorum, menſae Regiae ſubtractorum, poſſeſſio, non tamen promiſcue omnibus, ſed veteribus tantum, iisque, qui poſſeſſionem, iure antiquo tempore ſibi conceſſo, tueri poſſunt. *Michael* in PACTIS ſuis §. *Ekonomicy* ſpopondit, „omnia priuilegia a priori Rege, Iohanne Caſimi-„ro, in diminutionem prouentus menſae Regiae, ſine conſenſu Reipublicae data, irrita „fore, & talia in poſterum non conceſſum iri : imo qui contraueniendo huic iu-„ri, eiusmodi priuilegium precibus ſuis impetrauerit, ipſo facto infamis & inca-„pax tenutae pronunciatur, eique poena ſeſſionis turris, per ſpatium dimidii anni, „decernitur, ad inſtantiam cuiusuis Nobilium in tribunalibus Regni, ex regeſtro „fiſci ſpeciali, & in M. Ducatu, ex quouis regeſtro peremtorie irroganda. Eadem verba in PACTIS *Iohannis III § Ekon.* & *Auguſti II. §. Atymi Ekonomiami*, recitantur, hoc ſaltem diſcrimine, quod *Michael* de *vnius Regis*, Succeſſores autem de *Regum ſuperiorum* priuilegiis loquuntur, vt ſimul tempora poſt *Iohannem Caſimirum* com-

prehendantur, si quid illegitime impetratum fuerit. Praeterea per CONST. a. 1717. p. 64. tit. *Redintegracya*, „omnia bona & loca, nuper in diminutionem „redituum mensae Regiae priuatis concessa, non obstantibus Rescriptis & priui„legiis, aduersus ius & contra mentem pactorum conuentorum emanatis, ad cor„pus Oeconomicum reducuntur, saluis tamen priuilegiis, cum Antecessorum, tum „*Augusti II.* qui tunc regnabat, legitime collatis. Illa autem iura sunt valida, & priuilegia legitime collata, quae Respublica suo consensu per publicam legem firmat.

2 Donata ex bonis mensae Regiae, vt & alio titulo priuatis concessa, Constitutionibus inseruntur, vt consensus Reipublicae pateat: habentque locum inter Regni Constitutiones, si de Oeconomiis in Regno & Prussia sitis agitur, inter Lituanicas vero, quando de Lituanicis Oeconomiis sermo est. Lituanicae vero, quae olim solebant cum Regni Constitutionibus confundi, a tempore *Iohannis Casimiri*, his seorsum iungi solent, veniuntque in praesenti §. Lituanici statuti nomine.

§. LI.

INIVRIAM PASSIS IVSTITIA PROMITTITVR.

Iniuriatis praetendentibus, satisfactionem ab administratoribus nostris, circa documenta liquida spondemus[1].

1 Id quod spopondit in PACTIS suis *Augustus II.* verbis amplioribus, §. *Waruiemy tez o dobra*, scilicet, „ipsos administratores, iniuriam ex Regiis Oeco„nomiis passis, ius reddere, simul istis respondere in iudiciis quibusuis Regni, iux„ta praescriptum legis, & iudicatis, ex qualitate facti aut caussae prolatis, satis„facere debere, sub executione hac a Rege nullo modo impedienda. Antea vero Iohannes III. nomine haereditariorum & Regiorum bonorum, per PACTA §. *Waruiemy tez o dobra*, idem promiserat, quod scilicet Oeconomi, illis, qui de „iniuria sibi illata conquesti fuerint, in iudiciis quibusuis Regni responsuri. &c.

§. LII.

OECONOMIA PVBLICA IN APPARATVM BELLICVM.

Publicam Oeconomiam, secundum antiqua iura Vladislai IV.[1] & Iohannis Casimiri[2], Antecessorum nostrorum, conseruabimus, cui iuxta Constitutionem anni 1659. duos Capitaneatus ex primis vacantibus, quorum prouentus tringinta millia efficient, incorporare promittimus[3], & omnia, iuxta tenorem pactorum conuentorum, cum Rege & Parente Nostro sanctae memoriae initorum, quoad hoc punctum[4] obseruabimus.

1 Apparatum bellicum, tormenta, puluerem, alia, suis sumtibus procurare, *Henricus* in articulis sibi oblatis & a *Stephano* confirmatis, promisit: VOL. CONST. *p. 254.* §. *O woynie*, quodque ab eodem Rege *Stephano* in comitiis coronationis repeti-

repetitum legimus. VOL. CONST. *p. 275.* §. *O woynie*. Nomine *Sigismundi III.* in pactis promissum est, tormentorum bellicorum vim non exiguam, necessitatibus Regni Poloniae & M. D. Lituaniae exigentibus, pulueres atque globos e Regno Sueciae, suis sumtibus suppeditare. VOL. CONST. *p. 452.* §. *item tormentorum.* Verum, amissa Suecia, subuenit Reipublicae aerarium. *Vladislaus IV.* quo publicas impensas leuaret, ac assiduis inde in comitiis disceptationibus occurreret, promisit in PACTIS suis §. *A iż apparat.* Oeconomiam bellicam in apparatum istum instituere, sumtibus per nouam *quartam* ex Capitaneatibus & tenutis, ad modum veteris conferendis. *Idem* in iisdem pactis credidit, vtile imo necessarium esse, si duo crearentur, quorum alter in Regno, alter in Lituania, apparatum bellicum curaret, vnde summi rei tormentariae praefecti, Regni & Lituaniae, *magistri artilleriae* vulgo dicti, orti sunt. Noua haec in apparatum bellicum *quarta* a. 1637. CONST. *p. 8. tit. Quarta*, roborata, Rauam, veluti vetus deferenda, ac a Regni Thesaurario, Praefecto rei tormentariae numeranda, quo is in eam rem, in quam instituta vtatur, & expensorum rationem in comitiis reddat. Sequenti anno primum rei tormentariae *Paulus Grodzicius* in comitiis praefectus est, cui mandatum, accepta binorum annorum noua quarta, armamentaria tum vetera reficere, tum noua locis opportunis exstruere, tormenta cum reliquo apparatu bellico comparare, ac nouae huius Oeconomiae, quasi fundamenta iacere. CONST. *a. 1638. p. 13. tit. Oeconomia bellica.* Haec est illa Oeconomia, quam praesens, quod illustramus, caput, publicam nominat, cuiusque auctor merito *Vladislaus IV.* habetur: qui tamen in hoc non Poloniae saltem, sed & Lituaniae curam gessit, adsignando per PACTA sua §. *A iż apparat.* in sumtus, summam, qualem bonorum Regiorum possessores nomine simplicis donatiui in Thesaurum intulerint.

2. Qui eadem, quae hac de re in PACTIS *Vladislai* continentur, in suis §. *A iż apparat.* iisdem plane verbis repetit, vt videatur primus voluisse instituere, quae frater iam ordinauerat.

3 Cum noua quarta, ob vastata per bellum bona Regia, non sufficeret, additi a. 1659. prouentus ex *vini depositorio*, in annum vnum, & ex primis vacaturis Capitaneatibus & tenutis, exceptis tamen Capitaneatibus cum iurisdictione, in perpetuum duo in Regno promissi sunt, quorum annui reditus triginta millia florenorum aequarent, & in Lituania totidem, sed quindecim tantum millia efficientes, qui Capitaneatus seu tenutae, in rei tormentariae praefecti potestate essent, vt reditus ex illis, nonnisi in bellicum apparatum, sub peculatus poena, impenderet, ac ad id iureiurando obstringeretur, rationemque erogatorum in singulis comitiis, statim post sententias Senatorum, & exhibita Senatus consulta, ad nunciorum terrestrium instantiam redderet. CONST. *a. 1659. p. 10. tit. Porzadek.* Stetit tamen promissum intra verba, vt necesse fuerit, illud a Regibus, qui post *Iohannem Casimirum* imperarunt, in suis PACTIS, §. *Bellicam Oeconomiam*, repeti, quo aliquando impleretur.

4 Secutus exempla *Michaelis* & *Iohannis III. Augustus II.* idem in PACTIS, §. *Publicam Oeconomiam*, quod *Illi* olim, promisit: scilicet, „velle Se publicam „Oeconomiam, secundum antiqua iura Vladislai & Iohannis Casimiri conseruare; „illi promissos, per CONST. a. 1659. duos Capitaneatus, quam primum vacui „fuerint, addere, ac curare, vt rei tormentariae praefectus, semper sit patricius „& bene possessionatus; vt pecunia in apparatum bellicum destinata, in Regno ex

 „quarta

„quarta, in Lituania ex ſimplici donatiuo ſoluatur; & dictus praefectus in Comitiis perceptorum ſubſidiorum ac expenſorum nomine, rationem reddat.

§. LIII.

MILES NEQVE ALIVNDE ARCESSENDVS, NEQVE EXTRA REGNVM MITTENDVS, NEQVE DOMI NOVIS SVPPLEMENTIS AVGENDVS.

Nullum exercitum extraneum, ſine ſpeciali conſenſu Reipublicae, in viſcera Regni admittemus [1], neque Quartianos [2], neque alios milites nouis ſupplementis augebimus [3], aut ſine ſpeciali conſenſu Reipublicae, extra limites educemus [4]: & ſi quis contrarium fecerit, licet litteris noſtris pro conſcribendo milite ſubreptitie obtentis, inſtructus, talem pro perduelli, infami ac hoſte patriae declaramus [5].

1 Non modo belli arbitrium Rex cum Republ. commune habet, ſed & ſine quibus geri haud poteſt, Ordinum conſenſu paranda ſunt. Potiorem partem conſtituunt milites, quos per Se, ſiue aliunde arceſſere, ſiue in Regno ſcribere, Principi iam ex longo tempore integrum haud fuit. Nomine *Stephani* in ipſius pactis promiſſum fuit, auxilia externa nequaquam in Regnum adductum iri, niſi cum conſenſu Senatus & Ordinum: VOL. CONST. *p. 252.* quod in ſucceſſorum PACTIS, *§. woysk Cudzożiemskich*, praeter *Sigismundum III.* repetitum, ſimul iuxta Regnum, & Lituania memoratur, ac in nonnullis *annexae prouinciae* adduntur. Sed & *Sigismundus III.* fatetur, per vetera iura externum militem ſcribere haud eſſe licitum, ac per conſtitut. ſuam obſtringit fidem, Se id non facturum, niſi expreſſo omnium Ordinum in Comitiis conſenſu, negotio hoc prius ad conuentus particulares relato. CONST. *a. 1629. tit. O zaćiagu.* Nec minus quod hac de re in *Vladislai IV.* pactis continetur, a. 1638. noua lege, eaque perpetua, firmatum ac ad ſucceſſores extenſum. CONST. *a. 1638. p. 7. tit. O Suplementach.* Memoranda *Auguſti II.* ſeueritas; Qui a. 1699. ſingulari diplomate, in externas copias, ſiue ex Saxonia, ſiue aliunde, absque conſenſu totius Reipublicae, Poloniam ingreſſi fuerint, tanquam in hoſtes patriae, Nobilitati communem motum conceſſit. CONST. *a. 1699. p. 39. tit. ubezpieczenie.* Cum autem militis Saxonici opera Reſpublica aduerſus hoſtem vteretur, fidem dedit Idem Rex *Auguſtus* II. Se eundem, quam primum fieri potuerit, in Saxoniam dimiſſurum, & ſi bellum conficeretur, nunquam in viſcera Regni reuocaturum, neque in eius ſuſtentationem pecuniam aut commeatum exactum iri. *Poparćie Sendomirsk. konfederacyi a. 1710. p. 7.* Denique, per *Tractatum Varſauienſem* a. 1717. nunquam tum Saxoniae, tum aliae exoticae copiae, ſiue ſub titulo neceſſitatis ineuitabilis, ſiue ex conſenſu Senatus conſilii, ſiue ſub quocunque praetextu, in terras Regni Poloniae & M. D. Lituaniae, iunctasque iis prouincias, reduci debent. CONST. *a. 1717. p. 5.* Licet tamen Reipublicae conſenſu, externum militem accire: quo modo *Sigismundus* III. a. 1629. Caeſaris auxilia contra Suecos obtinuit. PIASEC *Chron.*

Chron. p. 406. Iohannes Caſimirus pactus ſibi a. 1657. aduerſus eundem hoſtem, quod comitia haberi non poterant, ex Senatus conſilio, a *Leopoldo*, Rege tunc Hungariae & Bohemiae, mox Romanorum Imperatore, auxilia, KOCHOV. *Annal. Clim. III. p. 215.* quae Ordines vna cum caeteris, quae inter vtrumque Principem conuenerant, in Comitiis a. 1658. ſuo conſenſu rata habuerunt. CONST. *a. 1658. p. 1. tit. Aprobacya.* In confoederatione Sendomirienſi, Ordines ſuam, belli aduerſus Suecos non minus fortiter quam feliciter gerendi profitentur fiduciam, quod Rex omnibus ſuis viribus, omnibusque qui adinueniri potuerint, modis, Rempublicam tueri promiſerit: KONFED. GENERAL. *pod Sendomierzem p. 10.* ſpondetque Rex *Auguſtus II.* viciſſim ſuis litteris, in congreſſu pro illa confoederatione ad Sendomiriam inſtituto, reddita pace, ſtatim ſuum exercitum ex Regno, Lituania & annexis prouinciis in Saxoniam dimiſſurum. KONFED. GEN. *p. 2.* In conſilio magno Mariaeburgenſi a. 1703. ſancitur, vt Rex & Reſpublica, copiis, cum domeſticis, tum externis auxiliaribus, defendantur. *Epiſt.* ZAL. *T. III. p. 451.* Et in Comitiis a. 1710. eidem militi Saxonico auxiliari, hiberna in finem menſis Aprilis conceduntur. POPARC. *a. 1710. p. 7.* Obiectum quidem, ante dictam Confoederationem Sendomirienſem, Auguſto II. ac ſi Saxones ſuos, inſcia Republica in Regnum duxiſſet, ſed ipſe Rex publico diplomate ſuam cauſſam egit. „Militiam, *inquit*, noſtram, in ſolam Regni vitaeque noſtrae tutelam, „tam iure naturae, quam pactis conuentis & Senatus Conſilio indultam, reſeruamus, ea praxi, qua licuit olim ſuas cohortes alere, Henrico Valeſio, Stephano „Bathoreo, & Sigismundo III. procul omni cenſura, & ſecuriore, quam nos fruimur, ſolio. *Epiſt.* ZAL. *T. III. p. 397.* Obtulerat enim, cum Regnum peteret, quouis ingruente periculo, ſex millia ſuorum militum, & poſcentibus ſtatibus & Ordinibus Regni, eosdem ſuis ſumtibus alere: *Propoſitiones Regiae* PACTIS CONVENTIS *adiectae, §. Więcżeby*, nec minus in hanc rem Senatus conſultum acceſſit, cui ipſe Primas Radzeiovius, ſubſcribere non dubitauit. *Memoires ſur les revolutions de la Pologne p. 85. (l)*

2 Eſt miles perpetuus, a Sigismundo Auguſto inſtitutus, vt pro ſecuritate limitum in terris Podoliae, aduerſus Tattaros excubaret, habetque nomen a parte quarta redituum ex bonis Regiis, in ſtipendium ei aſſignata.

3 Per CONSTITVTIONEM *a. 1629. p. 2. tit. Zaćiągu*, nullum militem ſine Ordinum conſenſu ſcribere licet, neque per PACTA Regum §. *Woysk Cudzożiemskich*, a *Vladislai IV.* tempore, quibus ſimul ſupplementatum Quartianorum, tum aliorum militum prohibentur: imo *Michael* & Succeſſores, id ne quidem ad quosuis motus ciuiles fieri volunt. Cum a. 1637. ex Senatus conſilio, ſine omnium Ordinum conſenſu ſcriberentur noui milites, neceſſitate id in ſequentibus comitiis excuſabatur, cauebaturque, id neque iuribus derogare, neque in poſterum fieri debere, CONST. *a. 1637. p. 2. tit. Przyczynienie*, quod mox noua lege in perpetuum firmabatur. CONST. *a. 1638. tit. O ſuplementach.* Nihilominus *Vladislaus IV.* inductus ad belli ſocietatem, contra Turcas, a Venetis, inſciis Ordinibus, magnam legebat militum manum, quod hi aegerrime tulerunt, ſuisque expoſtulationibus effecerunt, vt non tantum nouae copiae dimitterentur, ſed & Regum, in conducendo milite, aliquoties reſtricta facultas, nouo ſcito coercetur. PIASEC. *Chron. p. 507.* CONST. *a. 1646. p. 1. tit. O Zaćiągu.*

4 Promiſit in pactis ſuis *Stephanus*, ſe milites ſtipendiarios, extra Regnum, inſciis Ordinibus, non miſſurum. Nihilominus *Sigismundus III.* ordinibus inſciis ac aegre ferentibus, *Ferdinando II.* Caeſari auxilia ſubmiſit, quo apud eius

hoſtes

hoſtes magnam ſibi inuidiam parauit, & Turcam in primis non leuiter irritauit. PIASEC. *Chron. p. 323. 326. 329.* imo claſſem ſuam nouem nauium, quam habebat vnicam, ex portu Gedanenſi, Viſmariam, in Caeſaris vſus iuſſit tendere. PIAS. *Chron. p. 404.* Quibus rebus videntur Ordines permoti, vt *Vladislaum IV.* ad *Stephani* exemplum, per PACTA §. *Woysk Cudzożiemskich*, obſtringerent, ne ſine ſcitu & conſenſu Reipubl. milites extra fines duceret: quod & a Succeſſoribus exigere placuit. Maluit tamen *Vladislaus* Patris exemplum ſequi, concedendo Caeſari *Ferdinando III.* aduerſus *Galliae* Regem copias, quae ſeuerioribus comminationibus Procerum reuocatae, quod has ſuppetias, veteri cum Gallis amicitiae aduerſari credebant. PIASEC. *Chron. p. 488.* Recepit quidem a. 1658. *Daniae* Rex, a *Iohanne Caſimiro*, ſex millia equitum, *Czarnecii* & *Opalenii* ductu in ſubſidium, KOCHOV. *Annal. Clim. II. p. 319.* id tamen ex mutuo foedere, praecedenti anno Hafniae inito, quod Reſpublica in omnibus ſuis capitibus ratum habuit. CONST. *a. 1658. p. 2. tit. Aprobacya pactorum z Krolem.* Denique *Iohannes III.* in perennaturam Sui & gentis gloriam, cum integro exercitu a. 1683. aduolabat, vt *Viennam*, obſidioni & vltimo diſcrimini eriperet, verum pariter foedere obſtrictus, quod in dicti anni comitiis, Reipubl. conſenſu, cum Imperatore *Leopoldo* factum. ZAL. *Epiſt. T. I. p. 807.* Educere autem contra mentem Reip. vltra fines Regni incolas, ſiue quod milites lecti, ſiue ſub quocunque alio praetextu, poenis criminalibus per *Tract. Varſav.* a. 1717. interdicitur. CONST. *a. 1717. p. 38.*

5 Per CONSTITVTIONEM a. 1646. *p.* 2. fama & bonis mulctantur, qui ſine Reipubl. conſenſu, etiam Regiis litteris muniti, militiam ſcripſerint. Et in PACTIS *Michaelis*, *Iohannis III.* & *Auguſti II.* §. *Woysk Cudzoż.* infames, perduelles, hoſtes patriae, quos quilibet veluti iuris publici violatores tollere poſſit, & capita *inuindicabilia* declarantur. Praeter quod in pactis Iohannis III. §. *cit.* poenae hae in eos ſtatuuntur, qui litteris eiusmodi deſtituti, Regium nomen falſo obtendunt.

§. LIV.

MILES EXTERORVM MORE NON LEGENDVS, ET EXERCITVS AD NOVAE LEGIS MENTEM SERVANDI.

More exterorum milites legere nemini permittemus [1]: exercitum autem vtriusque gentis & auctoramenti ad mentem Conſtitutionis a. 1717. ſeruabimus [2].

1 In hoc PACTA *Michaelis* & *Auguſti II.* §. *Cudzożiemską manierą*, praeiuerunt, quae id & ex Senatus conſulto, ſine conſenſu Reipublicae, fieri vetant.

2 Ordinata eſt a. 1717. nouo modo militia, cum per *Tractatum Varſauienſem* conueniret, ex praeſentibus copiis, ad peculiarem computationem, ab vtraque parte, quoad numerum & conditionem probatam, ac litteris Regiis durante tractatu roboratam, nouum exercitum in Regno Poloniae & Magno Ducatu Lituaniae, certo ſimul ſtipendio, ſtatis temporibus, per ſcriptum ad Archiuum, auctoritate dicti tractatus ratum habitum, decreto legere. CONST. *a. 1717. p. 17.* Acceſſit conſti-

conſtitutionis auctoritas, cum Regni, CONST. *a. 1717. p. 53.* tum Lituaniae, CONST. *Lit. p. 1.* nomine, hac ſaltem differentia, quod copiis in Polonia, tempus, quo ſtipendium merere inciperent, ad diem primam Februarii, in Lituania ad diem primam Martii, praeſcriberetur. Dicitur ille exercitus vtriusque gentis, Polonae & Lituanae, poteſtque haberi pro duobus, quorum alter Regni, alter Lituaniae Ducibus paret, ille ex Regno, hic ex Lituania ſtipendium recipit, ac prior octodecim, poſterior ſex millia explere debet. Appellatur autem vtriusque auctoramenti, quod duplici modo, Polonico & extero auctoratus eſt. Equitatum enim conficiunt haſtati (Huſarze), loricati, (pancernicy), velites ſeu leuiter armati, quibus aliquot centeni *Heydones*, qui pedeſter miles, accedunt. Quae genera militum, quod Polonis propria, polonici habentur auctoramenti. Praeter dictum equitatum, ſunt Dragones vt vocantur & pedites, more Germanorum veſtiti, armati ac militantes, imo ipſi maximam partem Germani, quibus inde recte nomen exteri auctoramenti inditur.

§. LV.

MELIOR MILITVM ORDINATIO.

Obſtricti etiam erimus, deliberatione cum Ordinibus Reipublicae inſtituta in futuris coronationis comitiis, curam adhibere, vt militia equeſtris & pedeſtris, in optimum ordinem, & ad talem numerum reducatur, vt omni occaſioni ingruenti ſufficientem ſe probet [1], pariter, ne bona terreſtria & eccleſiaſtica, vtriusque partis [2], ac Regia, tranſitu & ſtationibus a milite exhauriantur [3], & vt milites in diſciplina militari maneant, ad mentem dictae legis nouellae 1717. [4] Cauebimus in poſterum, ne vlla vexilla & regimenta vtriusque auctoramenti vendantur, niſi bene meritis [5].

1 Iam *Vladislaus IV.* quod ex eius PACTIS conſtat, §. *Powinni też będziemy*, in comitiis coronationis ſuae, cum Ordinibus de militia equeſtri ac pedeſtri melius ordinanda, conſultare voluit, quo externis copiis in poſterum carere poſſet Reſpublica. Idem a ſucceſſoribus repetitum, manifeſto argumento, rem effectu caruiſſe. In nouiſſimis tamen coronationis comitiis, nihil de militia decerni potuit, quod iisdem prorogatis, non tantum de militia, ſed & de rebus aliis conſultationes differri debebant. Redigendus vero eſſet miles ad eum numerum, qui a. 1717. deſcriptus, quemque haud parum imminutum, inter omnes conſtat.

2 Legendum ſine dubio vtriusque ritus, quod vocabulum *Auguſti II.* PACTA §. *Powinni też będziemy*, habent. Intelliguntur autem tum Romano-Catholicorum, tum Graecorum *vnitorum* bona eccleſiaſtica.

3 Voluit *Vladislaus IV.* in allegatis PACTIS pariter prouidere, vt incolae omnes, iniuriis militaribus liberarentur, milesque ipſe ex ſuo ſtipendio viueret. Secutus Fratris exemplum *Iohannes Caſimirus*; addunt Succeſſores, bona quaevis, nominatim, ſpiritualia, Regia & terreſtria, per ſtationes & tranſitus copia-

rum

rum non eſſe affligenda. §. *c. Powinni & §. Obiecuiemy.* Praeterea ſunt leges omnium temporum, ac magno numero, quibus militum licentia coercetur, quas cumulare non minus taedioſum foret, quam legere.

4 Ampliſſime in CONST. a. 1717. *p. 58. tit. Diſciplina*, diſciplina militaris deſcribitur, vt ſeruatis, quae eam ob rem, ſalubriter olim decreta, miles ad mo„rem in exteris Regnis & Rebuspublicis receptum, ex ſolo ſuo ſtipendio viuat; „victum ac alia neceſſaria, tum in itinere, tum in hibernis, ac aliis ſtationibus, „praeſenti pecunia, iuſto pretio emat; ab incolis neque pecuniam, neque com„meatum, neque alia omnia exigat; bonis terreſtribus, Spiritualibus & Regiis, „ſiue tranſeat, ſiue in illis ſubſiſtat, nullam iniuriam inferat: caetera breuitatis ſtudio, omittimus.

5 Docet vſus, centurias & integra regimenta, aut ſi legiones appellari mavis, a Centurionibus ſuis & Tribunis aliis vendi, Regia tamen accedente auctoritate & conſenſu.

§. LVI.

REDEMTIO DRAHIMI, ET TERRITORII ELBINGENSIS &c.

De redimendo Drahimo [1] & territorio Elbingenſi [2], vt & ratione traiectus ad ciuitatem Neuburgenſem [3], nec minus de Lisnouienſi ac aliis templis [4], pariter de omnibus praetenſionibus veteribus & recentibus [5], cum aula Berolinenſi conferemus, & ex vi pactorum componere allaborabimus [6].

1 Praefectura Drahimenſis, in maiori Polonia, ad Pomeraniae fines ſita, a. 1657. Electori Brandenburgico per Brombergenſe pactum, centum & viginti millibus thalerorum imperialium, intra triennium pro milite auxiliari ſoluendis, inſcripta fuit; ita quidem, „vt ſolutione non praeſtita, poſt exitum triennii, Ele„ctor vel Eius Succeſſores, dictam Praefecturam, cum omnibus pertinentiis, pro„pria auctoritate, facta tamen prius ſolutionis requiſitione & denunciatione, ſine „aditione alicuius officii, in poſſeſſionem accipiendi, indeque omnes fructus per„cipiendi, iisque ad plenariam inſcriptae ſummae ſolutionem, ius ac poteſtatem „habeat. PVFEND. *de Reb. Frid. Wilh. L. VI. §. 82.* Cum vero nec poſt decennium ſoluta eſſet pecunia, occupauit a. 1668. praefecturam Elector, PVF. *L. X. §. 64.* quae ex eo tempore in Sereniſſimorum Succeſſorum ditione manſit. Aegre id ferebant Ordines, qui interregni, quod ſtatim ſequebatur, tempore, per legatum poſtulabant: „vt Elector praefecturam in manus Reipublicae reſtitueret, „ſalua in futurum, apud eligendum Regem & Remp. decenti in Comitiis Regni „generalibus requiſitione, quae tanto facilius apud vtrosque locum inuentura „eſſet, ſi viciſſim ab Electore, ratione non ſubminiſtratorum ſubſidiorum, ad „bella Moſchouitica & Coſacica, ex pactis debitorum, Reipublicae praeſtita fue„rit compenſatio. *Epiſt.* ZAL. *T. I p. 73.* Legatione autem irrita, placuit Ordinibus, nouo Regi *Michaeli*, in PACTIS CONVENTIS *§. O eliberacyą*, hoc negotium commendare, vt modum aliquem cum Electore iniret, quo Drahimum redimeretur: quod & in pactis *Iohannis III.* ac *Auguſti II. §. O eliberacyą*, factum.

Anno 1726. maioris Poloniae bini Palatinatus, Poſnanienſis & Caliſſienſis, conſenſu omnium Ordinum, Capitaneatum illum redimere decreuerunt, penes quos ille tam diu maneret, donec numeratam pecuniam Reſp. illis refunderet, ſimul nominati Commiſſarii, qui redemtionis curam agerent, & Capitaneatum hunc reciperent. CONST. *a. 1726. tit. Wykupno ſtaroſtwa.* Nec minus Commiſſariis, qui Regis & Reipublicae nomine, cum Regis Pruſſiae legato, de controuerſiis quae adhuc durant, agerent, in comitiis dicti anni iniunctum, vt negotium Drahimenſe perficerent: CONST. *d. a. Komiſya z dworem Berlinsk*, quod in convocationis comitiis anni 1733. Primati, additisque ei Conſiliariis, iterum commendatum fuit. KONFED. *p. 11. §. 44.* Interea coepit colligi in redemtionem pecunia, a memoratis Palatinatibus, collataque fuit ſumma non modica, quam turbis inteſtinis, per vim fuiſſe ablatam, ac in priuatos vſus conuerſam, Varſauienſis, poſt Regis electionem, confoederatio indignatur, ac reſtitui imperat, data iudicio confoederationis, in refractarios animaduertendi poteſtate. KONFED. *§. 14.*

2 Per aliud pactum, pariter Brombergae a. 1657. initum, ceſſit Rex Poloniae, propter armorum aduerſus Suecos coniunctionem, ac alias rationes, Electori Brandenburgico, ciuitatem Elbingenſem, „cum toto eius diſtrictu ac territo„rio, pleno dominii iure, vna cum reditibus, Regi Regnoque Poloniae pendi ſo„litis, quam primum Suecis erepta, citra vllas praetenſiones vel dilationes tra„dendam. PVF. *de R. Frid. Wilh. L. VI. §. 80.* Verum Elector, ſuo & haeredum „nomine promiſit, dictam vrbem cum ſuo territorio, ſolutis a Rege & Regno „Poloniae ex propria pecunia publica, quadringentis millibus thalerorum impe„rialium, Eidem Regi ac Regno in proprium vſum, pro ſe tantum redimentibus, „redditum iri. PVF. *l. c. §. 81.* Cum autem Sueci, qui eo tempore ciuitatem tenebant, poſt pacem Oliuenſem diſceſſiſſent, ſtatim Polonicum praeſidium impoſitum, Electore ſibi ex fide pactorum vrbem tradi fruſtra poſtulante. Poſt varia de hac re colloquia, tandem a. 1661. legati Electoris ſcripto declarabant, Se iuri in vrbem & territorium Elbingenſe renunciaſſe, ac ex ſumma quadringentorum millium, centum millia thalerorum imperialium remiſiſſe, ea lege, vt dum vel fiet ſolutio, vel in eius fidem tradetur Elbinga, Elector Brombergum & Frauenburgum, Varmienſis Epiſcopatus ciuitates, retineat. PVF. *L. IX. §. 19. Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 667.* Vtraque tamen ciuitas, ante numeratam pecuniam, a. 1663. Epiſcopo reddita, nec minus Electorem Elbinga carere oportuit, donec eandem copiae Brandenburgicae a. 1698. occuparent. Reddita ciuitas a. 1700. inito antea, die 12. Decembris anni 1699. Varſauiae nouo pacto, per quod, quouis iure & praetenſione hypothecae Elbingenſis, aliisque inde emergentibus in perpetuum abolitis, Regis & Reipublicae nomine ſolutio trecentorum millium thalerorum imperialium, intra trimeſtre, poſt proxima comitia, promittebatur, ſimul in maiorem dictae ſummae ſecuritatem, lapides pretioſi ex Regni theſauro tradebantur, addito, vt ſi conſtituto tempore, pecunia numerata non fuerit, Sereniſſimo Electori Brandenburgico integrum ſit, territorium vrbis Elbingenſis patrimoniale, vna cum ſolito vſufructu, ſine quouis impedimento occupare, illudque ſine quauis innouatione, vna cum dictis lapidibus pretioſis tam diu poſſidere, donec memoratam ſummam receperit. *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 893. 894.* Pecunia autem tempore conſtituto non numerata, tractum Elbingenſem, qui ad ciuitatem pertinet, Sereniſſimus Pruſſiae Rex occupauit, & adhuc tenet. Decretum quidem fuit a. 1703 & 1710. in Comitiis, certum, quo redimeretur tributum, at deſtituit hanc curam, ſucceſſus, quod non collata pecunia. Quare praeter alia & hoc negotium Regis & Reip. *Commiſſariis*, a. 1726. mandatum, de quo cum Regis Pruſ-

ſiae legatis agerent: CONST. *a. 1726. tit. Komiſ. z dworem Berl.* quod & ordini-
bus in Comitiis conuocationis a. 1733. placuit, vt ex illorum confoederatione
p. 11. patet.

3 Eſt traiectus Viſtulae, in Pruſſia, vt dicitur, Polonica, prope Neuburgum
oppidum, quem ſibi anno 1657. vindicauit Elector Brandenburgicus, PVFEND.
l. c. L. VIII. §. 82. in primis, quo copiis in ſuam Pruſſiam, ſine aliena opera, qua
vſus alias fuerat, liber eſſet tranſitus reditusque. Queſti de ea re ſtatim poſt Oli-
venſem pacem Poloni, quibus Electoris nomine reſponſum: indulgere eos ina-
„nibus ſuſpicionibus, velut Elector nouum ibi vectigal meditetur; cum id per pacta
„neque Electori, neque Polonis licitum ſit. Quin priuato nobili licentiam eſſe traie-
„ctus ad proprios vſus. Atque iſtam litem fere prouenire a priuato lucro Capitanei
„Neoburgenſis, & Doenhofio Münſtervaldae domino, qui olim traiicientibus ele-
„ctoralibus praemio affecti fuerint. PVFEND. *L. IX. §. 17.* Nihilominus poſtu-
latum ſaepius, vt Elector, traiectu iſto abſtineret, ac ſpoponderunt in PACTIS ſuis,
O eliberacyą, Michael, Iohannes III. ac *Auguſtus II.* hanc controuerſiam, per *com-
miſſiones*, ex vi pactorum componere: quae per *Tractatum retraditae Elbingae*,
a. 1699. ad peculiarem *commiſſionem* dilata fuit, *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 894.* cuius
effectum adhuc expectamus.

4 In Pactis Velauienſibus, quibus Electori illius temporis Brandenburgico,
Eiusque deſcendentibus, maſculis, ſupremum Pruſſiae ſuae dominium conceſ-
ſum eſt, Religioni Catholicae Romanae, hoc modo proſpectum eſt, „vt eadem,
„prout ante bellum Suecicum, iuxta antiqua & recentia Pacta, in Pruſſia Ducali
„viguit aut vigere debuit, conſeruetur aut reſtituatur; vt liberum ſit eandem
„profiteri, nec vllus ob eam interpelletur; vt ſacella & oratoria, ac bona omnia
„eccleſiaſtica, Romano-Catholicis appertinentia, vbiuis, tam in confinibus, quam
„alibi, integra, tuta & conceſſa illis ſint, in iisdemque liberum, ex doctrina in-
„ſtitutisque Catholicis Romanis exercitium habeant &c. PVFEND. *l. c. L. VI.
§. 78. p. 384. (b)* Affligi tamen non vno modo, ob ſuam Religionem Romano-
Catholicos, neque ad mentem allegatorum pactorum cum iis agi, iam ſuperio-
rum temporum querela fuit. Anno 1675. Primas *Olczouius* ad Regem *Iohannem*
III. perſcripſit: „attollere ad Eius Maieſtatem, manus, gemebundam Religionem
„Catholicam in Ducatu Pruſſiae, in perſona Comitis Schliben oppreſſam; hunc
„odio Religionis affligi, & ſola de cauſſa, quod filiam ſuam, ab Epiſcopo Cuia-
„uienſi, Catholico ritu curauerit baptizari, ad inſtantiam fiſcalis, ſine dilatione
„in mulctam 30000. Imperialium condemnatum; alios quoque Catholicos, & eos,
„qui ad fidem illius Eccleſiae diſponantur, intolerabiliter grauari, vnico fine, vt
„ex Ducali Pruſſia ſtirpitus nomen Catholicum eradicetur. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 653.*
Nec minus Celſiſſimus Varmienſis Epiſcopus, a. 1708. periculum Sacrorum, in
illa Pruſſiae parte, ad Nuncium ſummi Pontificis, in Polonia detulit. *Ep.* ZAL.
T. III. p. 833. Hodiernus vero Celſiſſimus Primas, in peculiari libello, Auguſto II.
a. 1725. oblato, exponit: „Eccleſias Romano-Catholicas, ſacerdotesque & mini-
„ſtros eorundem, iuribus, iurisdictionibus, ac reditibus, ab antiquo, vigore pa-
„ctorum ſibi compentibus ſpoliari, aliisque plurimis moleſtiis & angariis per edi-
„cta noua, & nunquam ſuper diuinis peragendis practicata, tum per comminationes
„exilii, praeſertim ab Eccleſia Lindana vexari, Reipublicae autem deſideria, ra-
„tione Eccleſiae Lisnouienſis, Romano-Catholicis reſtituendae, minime attendi.
Quod vero ad Lisnouienſe, ſeu Liſenauienſe templum, cuius in pactis ſit men-
tio, ſigillatim attinet, dicitur illud a pago Liſenau in Pomeſania, ad fines Pruſſiae

Polonicae, prope oppidum Leſſenſe, in quo cultus ſacer ad ritum Eccleſiae Ro-
mano-Catholicae olim peractus, quodque anno 1722. Lutheranis fuit conceſſum
aut reſtitutum. Factum id Regis Pruſſiae auctoritate, Cuius nomine rationes
allegabantur: „Eccleſiam illam expreſſa hac conditione fundatam, vt ad eam nun-
„quam alius niſi Auguſtanae confeſſioni, eiusque iuxta corpus doctrinae Pruteni-
„cum & formulam Concordiae, purae nec vllo modo ſuſpectae doctrinae addi-
„ctus Paſtor vocetur, in caſum neglectae huius conditionis iure, paſtorem eius-
„modi vocandi, Sereniſſimo concedenti diſertis verbis reſeruato; ſequentibus
„temporibus Auguſtanae confeſſioni addictos miniſtros ſacram rem curaſſe, & li-
„cet nonnulli ex poſſeſſoribus illorum bonorum, in primis Orzechouius a. 1674.
„ſacerdotem religionis Romano-Catholicae templo praefecerint, id tamen factum
„ſine approbatione ſupremi territorii Domini, & per conniuentiam ſaltem officia-
„lium Brandenburgicorum toleratum fuiſſe; pacta Velauienſa dicto templo ſubue-
„nire non poſſe, cum illa tantum de exercitio Religionis Romano-Catholicae lo-
„quantur, prout ante bellum Suecicum viguerit, at in templo iſto Sacra, ritu Ro-
„mano-Catholico, poſt bellum Suecicum, circa annum 1674. coeperint; Si autem
„Patrono Catholico licuerit, contra primam fundationem, ſuae religionis exerci-
„citium inducere, maiori iure praeſentem Patronum, Auguſtanam Confeſſio-
„nem profitentem, priora ſacra, ad primam fundationem reuocare. Fuit & ad
caetera, quae Celſiſſimus Primas obiecerat, quaeque pariter religionem tange-
bant, reſponſum: „Catholicos pleniſſima quiete & libertate a tempore ſatis lon-
„go perfrui, nec ea tantum, quae per pacta Velauienſia competerent, ſine turba-
„tione poſſediſſe, ſed pro extenſione ſuae Religionis haud pauca illis indulta eſſe,
„quae tenor pactorum negaret. Cum in pactis Velauienſibus vnica tantum pu-
„blica Eccleſia Romano-Catholica memoretur, earum in Pruſſia Brandenburgica
„non contemnendum numerum exiſtere, quae cultui, ſecundum ritum Romano-
„Catholicum publice & ſolenniter peragendo ſeruiant, imo & ſpectabile Ieſuita-
„rum Collegium intra prouinciam conditum eſſe, ac non paucos huius inſtituti
„Viros, hinc inde domicilium conſtituiſſe. De Collegio Ieſuitico ad ſacram Lin-
„dam, ne minimum quidem in pactis veſtigium apparere, ſumma tamen Regis
„manſuetudine, benignitate & conniuentia illud foueri. Nemini autem Catholi-
„corum, non modo de iis, quae vigore pactorum tenent, ſed ne de his quidem,
„quae per vſurpationem nactus ſit, quicquam huc vsque ereptum, aut de iuribus
„& reditibus, qui in poſſeſſione Catholicorum hactenus fuerint, vel obulum ſub-
„tractum eſſe. *Litterae de grauaminibus Reipubl. Pol. contra Regem Pruſſ. p. 5. 19. 25.*
His addimus in *Tractatu Varſauienſi*, CONST. *a. 1717. p. 11.* Regni & Lituaniae
Cancellariis, iura Eccleſiarum Catholicarum, in Pruſſia Brandenburgica, iuxta
praeſcriptum legum, ac tenorem tractatuum veterum commendari.

5 Iam olim Regi & Reipublicae Polonae, cum Electore Brandenburgico,
qua Pruſſiae Duci, controuerſiae interceſſerunt, quarum initium ſtatim poſt Ve-
lauienſia & Brombergenſia pacta, repetendum. Audita enim mutua obiectatio,
impleta non fuiſſe pacta, aut latius extenſa, quam mens paciſcentium ferret, quem
omnium diſceptationum fontem haud immerito dixeris. In PACTIS *Michaelis*
& Succeſſorum, §. *O eliberacyą*, praeter militem auxiliarem & alia eſſe, quae ſibi
ab Electore depoſcere poſſit, credit Reſpublica. Quae noſtra aetate ortae que-
relae, recenſet Celſiſſimus Primas, in libello, nota proxime praecedenti, allegato,
ſuntque praeter illas, quae rem ſacram Catholicorum afficiunt, & quae a nobis
modo memoratae: „quod Sereniſſimus Pruſſiae Rex homagium euentuale, Sacrae
„Regiae Maieſtati & Reipubl. Polonae praeſtari non curet; in praeiudicium con-

„feſſionis Auguſtanae, Religionem Reformatorum promoueat, templa magnifica
„exſtruat, ac perſonas eiusdem Religionis in muneribus primariis collocet; pro-
„pugnaculum Bolverkſchantz, ac domum vigiliarum in ſuburbio Elbingenſi, ſuo
„milite teneat; ſalem transmarinum Elbingam vehi non permittat; capitatio-
„nem a colonis Elbingenſibus exigat; & quod denique milites violenter homi-
„nes abducant.„ Regerebantur ad haec: „Non ſtetiſſe per Regem Pruſſiae, quo
„minus adeſſent, qui Regis & Regni Poloniae nomine homagium euentuale ex-
„ciperent, ius tamen euentualis ſucceſſionis Regi & Regno, expreſſis verbis fuiſ-
„ſe ſeruatum integrum; templum pro vſu coetus reformati, Regiomonti quidem
„eſſe exſtructum, id tamen in pactis non prohiberi, & paucos illos, qui ex Re-
„formatis, publicis officiis admoti, ne minimam quidem Lutheranae confeſſioni
„addictis, querendi praebuiſſe materiam, ipſamque confeſſionem Euangelico-
„Reformatam, per Velauienſia pacta in Pruſſia expreſſis verbis ſtabiliri; propu-
„gnaculum Bolverkſchantz, ad mentem tractatus retraditae Elbingae occupare
„licuiſſe, allegatam autem domum vigiliarum apparere nusquam, omni licet di-
„ligentia adhibita, vt reperiretur; primos Elbingenſes ſalem Halenſem in Pruſ-
„ſiae praefecturas transuehi impediuiſſe, inde eodem iure ſalem transmarinum
„Elbinga arceri potuiſſe; hominum denique ad militiam coactiones, a Regia
„Maieſtate Pruſſiae nec imperatas vnquam, nec approbatas, ſed ſeueris potius
„poenis coercitas, aut ſi quid tale commiſſum, euidenter probatum fuerit, in
„reos ſummo rigore animaduerſum, ipſosque per vim abductos, liberos dimiſſos
„fuiſſe. *Litterae de grav. Reipubl. Pol. contra R. Pruſſ. p. 515. ſq.*

6 Modum componendi controuerſias, pacta Velauienſia §. XVIII. conti-
nent, voluntque: „vt ſi ſuper limitibus inter vtramque partem, aut ſubditos vtri-
„usque partis, ratione videlicet limitum, aut inter ſuam Regiam Maieſtatem ac
„Succeſſores Reges Regnumque Poloniae & M. Ducatum Lituaniae, & Serenita-
„tem ſuam Electoralem, Eiusque Succeſſores, circa obſeruationem & executio-
„nem foederis ac praeſentis conuentionis, aliaue quauis de cauſſa, aliqua dubi-
„tatio aut controuerſia exoriatur, per Commiſſarios, ad inſtantiam, tam ſuae Re-
„giae Maieſtatis, quam ſuae Serenitatis Electoralis, intra bimeſtre ſpatium, ab
„vtraque parte, aequali numero nominandos, quique, ſi opus eſt, in rem praeſen-
„tem conueniant, amice componatur ac definiatur. PVFEND. *Res Frid. Wilh. L.
VI. p. 385.* (a) Fas piumque erat, viam parare, qua contentiones, ſi quando ob-
venirent, ſiſterentur, ne inter vicinos Principes, ac perpetuo foedere conſtrictos,
quae offenderent, ſtatim armis ac ciuium ſanguine vindicarentur. Inde Regum
pacta a *Michaelis* tempore, §. c. commiſſiones praecipiunt; inde tot de mutuis
controuerſiis colloquia; tot amicae per litteras expoſtulationes; inde & nouiſſi-
me per Conſtitutionem, lecti ex ſenatu & equeſtri ordine, qui de omnibus, de
quibus adhuc diſceptatum, agant, ſalua relatione & approbatione transactorum
in proxime futuris comitiis: hoc adiecto, vt, ſi non impetrentur, quae iure exi-
guntur, Rex comitia extraordinaria duarum hebdomadum, publicatis ſimul, in
communem nobilitatis motum, reſtium litteris, vnis pro duabus, indicat, vt eo
celerius & certius obtineatur, quod fruſtra antea poſtulatum, CONST. *a. 1726.
tit. Komiſya z dworem Berl.* quam Commiſſionem Ordines in Comitiis conuo-
cationis probarunt. KONFED. *p. 11.*

§. LVII.

§. LVII.

IVRA LAVENBVRGENSIVM ET BITOVIENSIVM.

Et nominatim, vt iura, priuilegia, immunitates, tractus
Lauenbergenſis & Bitouienſis [1], tam eccleſiaſtica, quam ciuilia,
prout per omnia, ſub immediato dominio Regni [2], iisdem vte-
bantur [3], iuxta iura [4] & conſtitutiones Regni [5] conſeruentur,
prouidebimus, & ne incolae equeſtris Ordinis, vltra conſenſum
vnanimem in comitiolis ſuis, tributis onerentur [6], apud aulam
Berolinenſem bona noſtra officia interponemus.

1 Sunt illi tractus, Pruſſiae, vt vocatur, Polonicae, ac partem Palatinatus
Pomeraniae conſtituerunt, qui conceſſi olim Ducibus Pomeraniae clientelari iu-
re, redierunt ad parem cum caetera Pruſſia conditionem, ſubque immediatum
Regis Poloniae imperium, cum Vladiſlai IV. tempore, ſtirps Ducum Pomera-
niae maſcula extingueretur. Durauit ille ſtatus, in annum 1657. „quo propter
„armorum aduerſus Suecos coniunctionem, ac rationes alias, per pacta Brom-
„bergenſia, Electori Brandenburgico, Eiusque ex legitimo matrimonio poſteris
„maſculis, vtraque praefectura, eodem iure, quo tenuerant olim Pomeraniae Du-
„ces ceſſit, his additis conditionibus: vt Elector Eiusque Succeſſores, ad ſingulo-
„rum Regum coronationes, conſiliarios aut officiales ſuos mittant, qui ius feu-
„dale, de praefecturis iſtis ad Regnum Poloniae pertinens, recognoſcant, & litte-
„ras eius recognitionis & renouationis feudi, quae gratis debent dari, a nouis
„Regibus accipiant; vt exercitium Religionis Catholicae, prout ad illud tempus
„fuit, liberum ſit; iurisdictio Epiſcopi Vladiſlauienſis, & prouentus parochorum
„& eccleſiarum integri maneant; cauſſae matrimoniales, tam Nobilium, quam
„plebeiorum, foro eccleſiaſtico relinquantur; nobilitas iuribus, priuilegiis bo-
„nisque ſuis, eodem, quo ſub immediato dominio Regis Poloniae, modo, vta-
„tur fruaturque; decreta rerum iudicatarum ne violentur; gubernationis & ap-
„pellationis eadem ſit ratio, quae ſub Ducibus Pomeraniae, ſaluis tamen priui-
„legiis; vt denique iura Patronatus Regia, Electori, & nobilibus ſi quae habeat,
„iuxta priuilegia & vſum eorundem ſeruentur, ita tamen, vt ad Eccleſias Catholicas
„parochiales, Elector ſacerdotes catholicos, ad commendationem Epiſcoporum
„Vladiſlauienſium, ab iisdem Epiſcopis inſtituendos, praeſentet. PVFEND. *de
Reb. Frid. Wilh. L. VI. p. 388.*

2 Redierant tractus illi, ſub immediatum, vt loquimur, Regis Poloniae
imperium, a. 1637. quo & Regno iungebantur. CONST. *a. 1637. p. 9. tit. Rein-
korporacya.*

3 Habuerunt Bitauienſes & Lauenburgenſes, communia cum Pruſſis iura,
quibus ſaluis, ſuo tempore, ſub ditionem Electoris Brandenburgici tranſierunt, vt
ex nota (1) conſtat. Acceſſit a. 1657. Reſcriptum Regium, quo cauetur: „noua
„eorundem diſtrictuum infeudatione, iuribus, priuilegiis, immunitatibus & li-
„bertatibus nihil eſſe detractum, nec detrahendum, ſed vnicuique iura, iuxta
„ſuam conditionem & ſtatum conſeruata eſſe, & conſeruatum iri. HIST. PR.
T. VII. Doc. p. 124. Firmatum hoc Reſcriptum Conſtitutione a. 1659. qua ite-
rum

rum incolis illarum terrarum „antiqua iura, honores, praerogatiuae, conſuetudi„nes, & de bonis terreſtribus, vti haereditariis allodialibus, libera diſpoſitio ad „morem Regni, & qua ab immediata Regno incorporatione vſi, aſſeritur, „quare inſcriptiones autenticae & manuales, contractus, intercisae, & quaeuis publicae & priuatae transactiones, proceſſus, decreta quaeuis ac tribunalitia, in ſuo robore & valore, & in caſu amiſſorum, vel quouis modo amittendorum bonorum terreſtrium, liber ad Regem & Rempublicam recurſus ſeruatur, ſaluo iure bonorum & perſonarum Eccleſiae Catholicae Romanae, ſaluo & vſu ac exercitio illius religionis, ac plena iurisdictione Epiſcopali, & iure Patronatus, illi, ad quem id pertinet. CONST. *a. 1659. p. 31. tit. Securitas. Michael*, *Iohannis Caſimiri* Succeſſor, in *generali Iurium confirmatione*, ſimul Lemburgi Bitouiaeque mentionem fecit. CONST. *a. 1670. p. 7.* Cuius exemplum, Reges, qui Ipſum exceperunt, ad noſtram vsque aetatem, non ſolum ſecuti, ſed etiam in PACTIS ſuis, iisdem, quibus in praeſentibus, verbis, iura vtriusque tractus ſibi curae fore, promiſerunt. §. *O eliberacyą.* Conſtitutionem vero anni 1659. *Auguſtus II.* a. 1699. ad Nunciorum terreſtrium Pruſſiae preces, noua lege firmauit, idque, vt ipſis *Illius* verbis vtamur, „pro maiori ſecuritate incolarum, quo circa antiquas libertates, „honores, praerogatiuas, conſuetudines, & inuiolatam bonorum terreſtrium poſ„ſeſſionem, liberamque illorum diſpoſitionem, tum quoque circa iudicia terre„ſtria, caſtrenſia & tribunalitia, cum officialibus loci illius, in integro maneant; ſimul illis ad mentem allegatae conſtitutionis, ſi dure habeantur, & iura in diſcrimine verſentur, recurſus ad Regem & Rempublicam ſeruatur. CONST. *a. 1699. p. 35. tit. Vtwierdzenie ſecuritatis.* Per *Tractatum* vero *Varſauienſem* Cancellariis iniungitur, Iuribus Maieſtatis, Patronatus, Nobilium & Eccleſiarum Catholicarum, cum alibi, tum in Terris Lauenburgenſi ac Bitouienſi attendere, ne quid contra leges & veterum pactorum fidem fiat. CONST. *a. 1717. p. 11.*

4 Quae in pactis Brombergenſibus nota (1) in medium prolatis, continentur.

5 Intelliguntur illae, quibus iura & priuilegia, vtriusque tractus roborantur, quasque nota (3) allegauimus.

6 Hac ſciſcendi in ſuis conuentibus tributa, facultate, ſub immediato Regis Poloniae imperio gauiſi, HIST. PRVSS. *T. VI. p. 148. 170.* quae cum caeteris iuribus, per Brombergenſia pacta tacite ipſis ſeruata fuit.

§. LVIII.

DE DVCATV CVRLANDIAE NON ALIENANDO.

Similiter, vt Ducatus Curlandiae [1], ab externis praetenſionibus liberetur [2], & Dux, Dominus Ferdinandus [3], vti inueſtitus [4], iuribus ſuis vti, & ad poſſeſſionem bonorum ſuorum peruenire poſſit, & vt incolae huius Ducatus, Duci, licet pro nunc, ob impedimenta extranea abſenti, in Regno tamen commoranti [5], debitam praeſtent obedientiam [6], coniunctim cum Republ. curas noſtras indilate impendemus, ſaluis, huius Ducatus Nobilitatis & ciuitatum antiquis iuribus [7]. In auulſionem vero huius Ducatus, a Corpore Reipublicae, nunquam conſentiemus [8].

1 Ducatus Curlandiae, quo vocabulo ſimul Semgallia continetur, Liuoniae olim pars, Ordini equitum Teutonicorum, qui & Enſiferi dicti, parebat. Saeculo XVI. cum Ruſſorum vires longe praeualerent, actumque fere eſſet de tota Liuonia, Ordinis Magiſter Gothardus Kettler, in fidem & ditionem Regis Poloniae, Sigismundi Auguſti, a. 1561. conceſſit. Fiebat id per mutua pacta „vt „Liuonia ſub *immediato* Regis Poloniae imperio, Magno Lituaniae Ducatui ſta„tim iungeretur, iungenda deinceps & Poloniae, niſi Regni Ordinibus aliter vi„ſum fuerit; Ordinis autem Magiſter, Ducalem titulum, ad inſtar Ducis in Pruſ„ſia, cum omni dignitate, inſignibus & priuilegiis Ducalibus recipiat, ita, vt Re„gis Poloniae Vaſallus feudatariusque Princeps ſit & habeatur. Nouo huic Du„ci, Curlandia & Semgallia in feudum collatae, vt easdem Ipſe, eiusque poſteri, ex linea maſculina deſcendentes, habeant teneantque. CHYTRAEI *Saxonia p. 531.* Haec Ducis Ducatuumque Curlandiae & Semgalliae prima origo, qui cum ſuo Duce, in Comitiis Lublinenſibus a. 1569. vt olim Lituaniae, Regno pariter iungebantur, vt perpetuis temporibus, in clientela & defenſione Regis, Regni & M. Ducatus permanerent. Rex vero, quod ſperabat, Ducem eiusque poſteros, in ea fide, voluntate, ſubiectione, quam ſibi Regnoque cum Magno Ducatu Lituaniae iuncto, illius legati detuliſſent, conſtantes permanſuros & firmiter perſeueraturos, viciſſim ſuam Regnique defenſionem ac conſeruationem omnium priuilegiorum, libertatum, immunitatum iis conceſſarum, libertatibus Regni tamen non aduerſantium, pollicebatur & promittebat. *Corpus nouum* CONST. *T. II. p. 806.* HENNINGII *Chron. Liv. f. 49.*

2 Sunt enim exterorum nonnulli, qui ſibi ex Curlandia quaedam deberi, aſſerunt, in quorum poſtulationes, vt inquireretur, ac de ſingulis ad Regem in ſequentibus Comitiis referretur, iam a. 1717. ex ſenatorio & equeſtri Ordine Commiſſarii nominati, qui in Curlandiam ſe conferrent, ſeriam inueſtigationem, de natura, legalitate & realitate, eorum quae peterentur, facturi, documenta partium luſtraturi ac annotaturi. CONST. *a. 1717. p. 75. tit. Xięſtwo Kurlandzkie.* In Comitiis vero Conuocationis a. 1733. Primati eiusque Conſiliariis commendatum, currare, vt Curlandia tanquam Reipublicae feudum, externis praetenſionibus eximatur. KONFED. *p. 11.*

3 Ex maſcula ſtirpe Gothardi vltimus, iam octogenario maior, qui, fratris filio, in ipſo aetatis flore ac intra matrimonii initia a. 1711. ſine ſobole, extincto, in Ducatus ſucceſſit.

4 Solebant noui Duces, a Rege publice & ſolenni more feudo inſigniri, & cum illud a. 1683. Fridericus Caſimirus per legatum ſuum reciperet, cautum ſcito publico, ne id in exemplum traheretur, ſed vt in poſterum ipſe Dux perageret, quae leges clientelae in adeundis Ducatibus exigerent. Const. *a. 1683. p. 5. tit. homagium.* Datum tamen fuit prouectae aetati, & ſingularibus hodierni Ducis erga Rempublicam meritis, vt per legatum hoc officio defungeretur: Const. *a. 1726. p. 4.* quod Eius nomine, a. 1731. Varſauiae Fridericus Gothardus a Bulov, iam Regis a conſiliis ſanctioribus, praeſtitit.

5 Iam plurimos annos Gedani agit, vt perpetuam ſedem ibidem fixiſſe, non obſcure videatur.

6 Quae Duci cum ſua nobilitate intercedunt controuerſiae, quaeque aliunde obueniunt impedimenta, noſtrum non eſt exponere. Altius ingrederemur priuata & domeſtica Curlandiae negotia, quam fert praeſentis inſtituti ratio. Egerunt cauſſam ſuam coram Sacra Regia Maieſtate, nobiles, egit & Dux Sereniſſimus. Secuta a. 1717. Regis & Reipubl. Commiſſio, cui facultas conceſſa, mutuas lites diiudicandi, & in quo aberratum, ſecundum antiqua iura ad priſtinam orbitam reducendi, ſalua tamen appellatione a ſententia definitiua, ad iudicia regni relationum, iuxta cadentias Curlandicas. Const. *a. 1717. p. 75. tit. Xięſtwo Kurlandzkie.* Id negotii & alteri Commiſſioni a. 1726. mandatum eſt; Const. *a. 1726. p. 5.* nec minus in Comitiis conuocationis, ad Primatis & Conſiliariorum Illius curam relatum, vt Dux Ferdinandus, vigore inueſtiturae, poſſeſſionem Ducatus, quam primum adeat, & recognitionem ſui, ab incolis Curlandiae, cum debita obedientia obtineat. Konfed. *p. 11.*

7 Habuerunt Curlandi ſua iura, iam olim ſub Ordine Teutonico, quibus ſaluis, Se *mediato* Regis Poloniae imperio ſubmiſerunt. Qui & „omnia eorum „iura, beneficia, priuilegia ſaecularia & eccleſiaſtica, praeſertim Nobilium, tam „ſimultaneae inueſtiturae ius, quam & libertatem gratiae, in ſucceſſione haereditaria ad vtrumque ſexum, ſuperioritates, praeeminentias, dignitates, poſſeſſiones, „libertates, transactiones, plebiſcita & immunitates, denique & iuriſdictionem „totalem iuxta leges, conſuetudines & mores antiquos, Se confirmaturum promiſit.„ Per prima eadem pacta, „Principi, ciuitatibus & ſubditis omnibus, cuiuscunque Ordinis vel ſtatus fuerint, liber vſus religionis, cultusque diuinus & „receptorum rituum, ſecundum Auguſtanam Confeſſionem, in ſuis Eccleſiis, „totiusque rei eccleſiaſticae integra adminiſtratio, ſicut eam hactenus habuerunt, „libere permittitur, adeo, vt in ea nec Ipſe Rex vllam mutationem facturus, neque, vt ab aliis fiat, conceſſurus ſit.„ Antiquis & noua acceſſerunt iura, quae in allegatis pactis recenſentur, Chytraei *Saxon. p. 530. 531.* quorumque integritati iterum proſpectum, cum Curlandia Poloniae iungeretur, vt ex annotatione prima patere poteſt. Eadem Regis & Reipubl. noſtra aetate mens fuit, dum per Const. *a. 1717. p. 75. tit. Xięſtwo,* Nobilitatem Curlandiae, circa pacta primaeua, indigenatus beneficia ex iisdem competentia, decreta comitialia & commiſſorialia, formulam regiminis & ſtatuta a. 1617. priuilegia, iura, immunitates, conſuetudines, & conſtitutiones in illius rem ſancitas, iuribus Principis, & Nobilitatis nil derogando, plene volunt cuſtodiri. Pariter per *Tractatum Varſav.* eiusdem

dem anni prouiſum, vt Cancellarii iura nobilium Ducatus Curlandiae & Semgalliae ſibi habeant commendatiſſima. Const. *a. 1717. p. 11.* In Const. *a. 1726. p. 4. 5.* praeter caetera iura, libertates & priuilegia, Curlandi ſecuri redduntur, exercitium Auguſtanae Confeſſionis, cum quoad Remp. quodque per pacta ſubiectionis ſibi aſſeruerunt, cum pacifico vſu & conſeruatione illius religionis, caeteriſque illius ritibus, ſecundum obloquentiam dictorum pactorum, liberum fore, neminemque ad illius mutationem coactum iri, ſaluo iure & vſu Religionis Romano-Catholicae, in formula regiminis praeſcripto, & per Conſtitutionem a. 1678. approbato: quae Conſtitutio a. 1726. qua exercitium Auguſtanae fidei & caeterorum rituum, per confoederationem vltimi interregni p. 11. firmatur.

8 Aeternum eſt inter Poloniam & Curlandiam vinculum, prouiſumque a. 1589. vt deficiente Gothardi maſcula ſtirpe, ad modum, quo olim Liuonia, Regno immediate maneret iuncta. Vol. Const. *p. 512. tit. Xięſtwo.* Creuit retinendi Curlandiam cura, progenie priorum Ducum, in Ferdinando ad finem vergente, promiſitque peculiari diplomate *Auguſtus II.* „eandem poſt ſera fata „moderni Ducis Ferdinandi, vltimi poſſeſſoris, ſine prole maſcula decedentis, „ſecundum pacta aeuiterna, a quoquam auelli haud paſſurum; ſubſtitutionem „noui cuiuscunque Principis infeudandi, neque ſeparatim, neque coniunctim cum „Ordinibus Reipubl. conceſſurum; ac neminem eam ob rem auxilio adiuturum, „aut in tutelam recepturum. Const. *a. 1726. p. 2.* Secuta Conſtitutio, qua „inhaerendo pactis aeternae ſubiectionis, & incorporationis abſolutiſſimae & pleniſſimae, ſine omni reſeruatione, libere, rite & legitime ab vtrinque ſtabilitis, „& iurata fide confirmatis, ſimul referendo ſe ad Conſtit. a. 1589. deficiente ſtirpe „maſcula, hodierni Ducis Ferdinandi, ex linea Kettleriana procedentis, ſaluis per „omnia iuribus, poſſeſſionibus, ac praerogatiuis Eius, quamdiu vixerit, cum „omnibus attinentiis & contingentiis ſuis antiquis, Regno & M. Ducatui adiungitur „& incorporatur; incolae cum ſuis iuribus & priuilegiis, ad iura, honores & immunitates Regni & Lituaniae admittuntur; illisque auxilia aduerſus omnes vſurpationes & quosuis inſultus hoſtiles, omni ſubſtitutione noui Principis infeudandi, in „perpetuum abrogata, offeruntur. A. 1727. venerunt Regis & Reip. nomine, conſtituti in prioribus Comitiis Commiſſarii, in Curlandiam, qui futuri regiminis formam, quando immediate Regi ſubeſſet, deſcripſerunt. His occurrendum ſibi credidit Reſp. ne Curlandi ad nouam Ducis electionem redirent, irrita quam a. 1726. in Mauritio Saxoniae Comite peregerant. Et illi quidem nolunt auelli a Polonia, neque *mediato* Regis imperio eximi, ſi modo ſibi, veteri regimine ſaluo, ſuo ſubeſſe liceat Duci. In hoc iam voti ſui facti compotes, quod in comitiis hoc anno feliciter habitis, per publicam legem, nouus Dux, poſt fata praeſentis, promiſſus, more antiquo in clientelam Regis recipiendus.

§. LIX.

SAL QVARTVALIS.

Quoniam [1] ſal Reipublicae trimeſtris ſeu quartualis (*ſol Suchodniowa*) [2], nobilitati, reſpectu bonorum terreſtrium, ex ſalisfodinis Bochnenſibus & Vielicenſibus, vt & ex Oeconomia noſtra Sambonenſi, extradi ſolet [3], ſpondemus, reſpectu eiusmodi bonorum terreſtrium, dictum ſalem, ſecundum antiqua regeſtra [4], omnibus Palatinatibus & terris, iuxta iura antiqua & conſuetudines conceſſum iri [5]: & quidem proximi Palatinatus, ipſi ſibi hunc ſalem petent, remotioribus autem, in loca conſtituta [6] noſtris ſumtibus, pretio iuribus deſcripto [7], ſubuehi curabimus: cui rei attendere, magni Regni Theſaurarii obſtricti erunt. Adminiſtratores vero ſalisfodinarum [8], ſub amiſſione contractus, & poenis legibus deſcriptis, ſalem erogare tenebuntur, ad inſtantiam, Palatinatuum, terrarum & diſtrictuum. Et ſi adminiſtratores, aut quocunque modo dicti tenutarii, ex ſalisfodinis, ſalem eiusmodi non erogauerint, liberum erit cuilibet Palatinatui & terrae, illos per inſtigatorem ſuum ad tribunal citare, inter cauſſas fiſci, ex ſpeciali regeſtro, & poenas in eos vrgere, vt in conſtitutione anni 1654. [9] & aliis antiquis deſcriptae ſunt. Terrae autem Czerſcenſis, Lomzenſis, Nurſcenſis, & ſigillatim Czechanovienſis [10], quae maxime ab aliis laeſa, penes iura antiqua anni 1607. & conſuetudines ſeruari debent, ſine diminutione tamen prouentuum menſae Regiae.

1 Quae de ſale ſpondentur, praeter ea, quae in fine huius §. de Terris Czerſcenſi Lomzenſi &c. occurrunt, iisdem plane verbis in *Michaelis* & *Iohannis III.* PACTIS §. *Ponieważ tey Rzeczyp.* leguntur. Nihil quidem horum in ipſis pactis *Auguſti II.* contra in PROPOSIT. §. *Ponieważ tey Rzeczyp.* Eiusdem Regis, quae pactis adiectae, integer §. ſi ea, quae in fine terram Czechanouienſem tangunt, exceperis, habetur. Sunt tamen his pactis leges vetuſtiores, quae ſalem iuſta copia ſubuehi vendique iuſto pretio praecipiunt. *Sigismundus I.* promiſit a. 1511. copiam ſalis ſe eſſe deuecturum ad omnes terras, ad quas nauibus deportari ſoleat, vt quaeque praedictarum terrarum, ſale, vti antiquitus ſolita, iam copioſe vti poſſit, mandata Palatinis cura, vt iuſto pretio a mercatoribus, Nobilitati & vulgo vendantur. PRIL. *Stat. p.* 407. HERB. *Stat. tit. Sal. Idem* a. 1532. recepit, ſalis venditionem & ſubminiſtrationem ita ſe procuraturum, vt & ſal pretio ſolito vendatur, & copia illius, quoad fieri poterit, vbique habeatur. PRIL. *p. 408.* HERB. *l. c.* Ad Patris exemplum, filius *Sigismundus Auguſtus*, ſufficientem ſuis dominiis ſalem, iuxta iura eo nomine conſcripta, vult prouidere. PRIL. *l. c.* HERB. *l. c.*

2 Dicitur

2 Dicitur ſal Reipbl. quod ex publicis fodinis depromitur, & trimeſtris ſeu quartualis habet nomen, quia nobilibus per trimeſtria, diuendi ſolet.

3 Pertinent memoratae ſalisfodinae ad bona menſae Regiae, vt ex iis, quae ad §. XLV. dicta ſunt, conſtat. Recipit inde ſalem Nobilitas, certo pretio legibus definito, quodque Conſtitutiones a. 1601. tit. *Sol*, VOL. CONST. *p. 756.* anno 1623. p. 11. *tit. Soli*, a. 1654. p. 10. tit. *O wydawaniu*, & aliae exprimunt.

4 Volunt leges, vt Nobilitas in ſuum tantum vſum ſalem recipiat, nec vendendo eundem, iure ſuo, in imminutionem Regiorum prouentuum, abutatur. Ius hoc, ipſis bonis terreſtribus haereditariis inhaeret, quare reſpectu illorum, ſal conceditur, & quidem pro diuerſo bonorum terreſtrium numero, diuerſaque eorundem conditione, aliis maiori, aliis minori copia: idque ad fidem indicis ſeu regeſtri, in quo deſcriptum eſt, quantum reſpectu bonorum poſſit exigi.

5 Quo ergo Nobilitas, hisce ſuis iuribus & conſuetudinibus, in recipiendo ſale vteretur, decreta fuit a. 1717. commiſſio, quae ſalisfodinarum ſtatum accurate inſpiceret, eademque tolleret, vnde forte Nobilitati damnum aut impedimentum, quo minus ſuo iure gauderet. CONST. *a. 1717. p. 64. tit. Redintegracya.* Placuit alia Commiſſio in Comitiis conuocationis, cui praeter caetera iniunctum, prouidere, vt Palatinatus & terrae, quibus adhuc deberetur, ſalem trimeſtrem reciperent. KONF. *p. 26.*

6 Dicuntur in legibus camerae, & depoſitaria, quod in iis ſal deponitur.

7 Non enim gratis ſal Nobilitati datur, ſed venditur, minori tamen pretio, quam aliis. Illud pretium eſt legibus definitum, quod nota (3) monuimus, repetitumque eſt in Conſtitutione a. 1654. vt gleba ſalis, Polonis *balwan* dicta, Nobilibus, florenis quatuor, tonna autem, omnibus incolis cuiuscunque Ordinis & conditionis fuerint, florenis ſex veneat. CONST. *a. 1654. p. 10. tit. O wydawaniu.*

8 Sunt quibus ſalisfodinae locatae, de quibus ad §. XLV. dictum.

9 In qua *p. 11.* poena trium millium marcarum, cum refuſione damnorum, & ſalis reſtitutione legitur.

10 Memoratae terrae ad Maſouiam pertinent, continetque allegata conſtitutio pretium, quo nobilibus ſal ibidem vendi debeat. VOL. CONST. *p. 846. tit. O ſoli na składach.*

§. LX.

NOBILITAS LIBERE VTATVR FODINIS IN BONIS TERRESTRIBVS.

In hoc etiam ſecurum reddimus ordinem equeſtrem, quod ſi in alicuius bonis inueniantur fodinae metallorum, ſalis, ſulphuris & alius generis, in fundo terreſtri, nemini in fodiendo, vtendo & vertendo in commodum ſuum, neque per Nos, neque per quemuis alium, perpetuis temporibus, impedimentum aliquod afferemus [1].

1 Iam per *Articulos Henricianos*, Nobilibus ea, quae in ipſorum fundis proueniunt, afferuntur, adeo, vt nullo tempore in poſſeſſione fodinarum, ſiue ſalis, ſiue metalli, turbari debeant: VOL. CONST. *p. 255. §. Aby wątpliwość.* quod a *Stephano* repetitum. VOL. CONST. *p.* 277. Poſt temporis interuallum non modicum, hoc Nobilitatis ius, *Michaelis* PACTIS inſertum, *§. fodinas*, ac inde in *Iohannis III. §. citato* translatum: in *Auguſti II.* pactis omiſſum, locum inter Illius PROPOSITIONES §. *fodinas*, inuenit.

§. LXI.

DE FODINA, CVNIGVNDA DICTA.

Compenſationem, pro fodina ſalis, Cunigunda dicta, Magnificis & Generoſis Lubomirsciis, iuxta Conſtitutionem anni 1726. ad effectum perducere declaramus [1].

1 Illuſtre in Polonia Lubomirsciorum nomen, obſcurum poteſt eſſe nemini. Inter poſſeſſiones, quas bene multas, gens haec poſſidet, eſt villa *Sviercz* in Palatinatu Cracouienſi, prope fodinas Regias Vielicenſes. In hac olim, fodina ſalis, *Cunigunda* poſtea dicta, inſtructa fuit, querelae iam Vladislai IV. tempore, cauſſa, ac ſi inde damnum fodinis Vielicenſibus, quodque illarum prouentus non leuem recepturae acceſſionem, ſi *Cunigunda* illis adiiceretur. Qua ex cauſſa decreta in Comitiis a. 1635. Commiſſio, quae nouam fodinam luſtraret, ac de permutanda, cum aliis Reipublicae bonis, cum *Stanislao Lubomirscio*, Ruſſiae tunc Palatino, ageret. CONST. *a. 1635. p. 24. tit. Komiſarze.* Verum non perfecit negotium Commiſſio, potius in PACTIS *Michaelis*, §. *fodinas*, poſſeſſio *Cunigundae*, Lubomirſciis, perpetuis temporibus promittitur, ita, vt turbari in eadem a Regibus haud debeant: addunt *Iohannis III.* PACTA §. *fodinas*, liberum fodinae vſum, ſalisque venditionem, ſine omni impedimento Adminiſtratorum & officialium, Regiarum ſalisfodinarum: quod in PROPOSIT. *Auguſt. II. §. fodinas*, pactis Eius adiectis, iisdem verbis repetitur. Nihilominus in Regia inſtructione ad conuentus particulares a. 1678. poſtulatum, vt ad auertendam ruinam fodinarum Vielicenſium, easdemque quam optime conſtituendas, nunciis Palatinatuum ad Comitia committeretur, rationes inire, quibus Lubomirsciorum *Cunigunda*, ſalisfodinis Vielicenſibus, ſalua compenſatione iungi poſſet. Noſtra aetate audita querela, ſuffodi per *Cunigundam* fodinas Regias, metumque eſſe, ne actis cuniculis in Re-

gii

gii Theſauri grauem iniuriam, corruant. Cui malo, vt in tempore occurreretur, prouidendum erat Commiſſariis, qui a. 1717. ad luſtranda bona Oeconomica, ac in priorem ſtatum reſtituenda, nominari debebant. CONST. *a. 1717. p. 64. tit. redintegracya.* Hi eximebant antiquae poſſeſſioni *Cunigundam*, iungebantque Regiis fodinis. Actum deinde de compenſatione, delegatique a. 1726. ex ſenatu & equeſtri Ordine, qui eandem adinuenirent, ſalua ad proxima comitia relatione, ac in iisdem approbatione, CONST. *a. 1726. tit. Komiſ. względem Szybu:* quod in comitiis conuocationis a. 1733. iis, a quibus ſalisfodinae luſtrandae, iterum iniunctum, ſic, vt de illa re, quo approbaretur, ad Comitia coronationis referrent. KONF. *p. 27. §. 83.*

§. LXII.

OECONOMIA OLCVSSIENSIS.

Vt Oeconomia Olcuſſienſis [1] incrementum accipiat, & ad antiquos prouentus, per iniuriam imminutos, reducatur, curabimus [2], ſaluis ſaluandis.

1 Oeconomia dicitur, quod ad bona Regia menſae pertinet. Eſt autem Olcuſſia ſiue Ilcuſſia in Palatinatu Cracouienſi, plumbi & argenti olim ferax. Sed diu iam neglectae fodinae, idoneos foſſores, metallorumque gnaros deſiderant, quibus ſubuenire poſſet Saxonia.

2 Promiſit in ſuis PROPOSIT. §. *Zabiegaiąc, Auguſtus II.* extremae ruinae huius Oeconomiae occurrere, ac quaecunque in eius reſtitutionem decreta, exequi, nullo perſonarum habito reſpectu.

§. LXIII.

FACVLTAS REGI CONCESSA, ADEVNDI PER INTERVALLA SAXONIAM.

Et quoniam dominia noſtra Saxoniae haereditaria, propter ingentes ad eorum ſtatum pertinentes neceſſitates, carere noſtra, in ſuis viſceribus praeſentia, non poſſunt; proinde ex conſenſu Ordinum [1], iuxta Conſtitutionem anni 1717. [2] habito reſpectu Conſtitutionis Lublinenſis 1703. [3] abitum noſtrum & commorationem ordinabimus: priuilegia tamen [4] ibi, & publicas expeditiones [5] non extrademus, ſed omnia, ad reditum noſtrum in viſcera Regni, aut in Eius fines [6], differemus, exceptis militaribus & ſpiritualibus [7].

1 Abiit clam ex Polonia, Ordinibus inſciis, Henricus, neque rediit vnquam. In pactis *Sigismundi III.* conuenit, vt, ſi mortuo Patre, Sueciae res eius praeſentiam deſiderarent, eo ſeſe cum conſenſu omnium Ordinum Regni & M. D. L. recipere liberum eſſet. VOL. CONST. *p. 452. §. 1.* Inuiſit is Patrem vi-

vum

vum adhuc, Reualiae in Esthonia a. 1589. consentientibus tamen, vt perhibet Piasecivs *Chron. p. 75.* Ordinibus: ac postea scripto promisit, si defuncto Patre, in Sueciam abiturus esset, de reditu in Poloniam sufficientem Se daturum cautionem. Piasec. *Chron. p. 101.* Obiit Parens a. 1592. & sequenti, Ordinibus consentientibus, Vol. Const. *p. 635.* abiit in Sueciam *Sigismundus*, illius statum ordinaturus: data prius de reditu intra annum, & quod compositis Sueciae rebus, perpetuo in Polonia degere velit, cautione. Piasec. *p. 109.* Adiit tamen iterum Sueciam a. 1598. impetrato rursus Ordinum consensu, ac reditu a Rege singulari diplomate promisso. Vol. Const. *p. 686.* Pias. *p. 156.* Vladislaus autem IV. iuit ad thermas Badenses in Austriam, ignorantibus Ordinibus, Pias. *p. 503.* sed secuta lex perpetua a. 1641. quae prohibet, Reges sine expresso omnium Ordinum consensu, vltra Regni fines iter instituere. Const. *a. 1641. p. 4.* Iohannes III. cum ad fontes calidos extra Regnum excurrere vellet, retulit rem ad Senatus consilium, & post consensum, mors proposito intercessit. *Epist.* Zal. *T. II. p. 1.*

2 In *Tractatu Varsauiensi* a. 1717. qui Constitutionibus illius anni insertus, p. 10. Cancellariis Regni & Lituaniae, iniungitur: „attendere, ne Sacra Regia „Maiestas, quando Eidem, peractis quolibet biennio Comitiis, non omittendo ne„gotia Reip. grauiora, in Saxoniam proficisci placuerit, vltra tres menses quouis „anno, vel sex per biennium, non computando viae tempus, insuper saluo vsu „Constit. Lublinensis a. 1703. p. 19. si reparandae sanitatis necessitas fuerit, ibi„dem moretur, neque vacantias, nonnisi in Polonia conferendas, distribuat: secus „si fiat, edocendus de eo Regni Primas, redeundumque qui ex Cancellariis pe„nes Regem fuerit, in Regnum.

3 Roborata est haec Constitutio, *Tractatu Varsau.* modo allegato, illaque conceditur Regi consulendo valetudini, tempore commodo, post pacatam Remp. in assistentia Senatorum, officialium, aulicorum Regni & Lituaniae, extra Regnum proficisci. Constit. *a. 1703. p. 19. tit. Pozwolenie.*

4 Quoties vel dignitates, vel bona Regia vel alia conferuntur.

5 Continent illae negotia, quae ad omnem Remp. pertinent.

6 Quare *Augustus II.* Fraustadium, aut in alium maioris Poloniae prope fines locum, in paucos dies excurrebat, vt vacuas dignitates conferret, litteris nomine Regio publicandis subscriberet, & caetera, quae ad Rempubl. pertinerent, perageret, si per alia negotia Saxonia discedere nondum liceret.

7 Possunt ergo in Saxonia Episcopi & Abbates nominari, possunt non minus praefecti militares constitui.

§. LXIV.

§. LXIV.

MONETA.

Prouentus ex moneta Regni & magni Ducatus Lituaniae, quoniam ad Rempublicam pertinent, neque Nos, neque Successores, ius in illos, Nobis vindicabimus, nec etiam monetam ex consensu Senatus cudi iubebimus, iuxta Constitutionem anni 1632.[1] verum de ordinatione monetali, Regni & M. D. Lituaniae, non alibi, nisi in Comitiis agemus[2]. Et quia per occlusionem officinarum monetalium, Respublica magnum passa damnum, curabimus, habito consilio cum Ordinibus Reipublicae, vt officinae aperiantur, ac iuxta ligam Imperii & vicinorum Principum, moneta argentea & aurea [3] cudatur.

1 Prouentus ex re monetali a. 1590. cum ordinarentur reditus Regii, illis fuerunt adscripti. Vol. Const. *p. 577. tit. rationes.* Postquam vero numi in dies deteriores cuderentur, & a plurimis culpa in studium augendi Regios prouentus conferretur, erat in votis, vt Rex lucro hoc Reipubl. cederet, quo eadem malo mederetur, ac numos sinceriores procuraret. *Sigismundus III.* in Comitiis a. 1632. duobus circiter ante obitum mensibus, quo Ordinibus, quorum consensu, diuersos capitaneatus & tenutas soboli suae contulerat, gratiam referret, reditus ex moneta, post sua fata, suo & Successorum nomine, in Rempublicam aeternis temporibus transtulit, idque in Regni vtilitatem, quo in posterum melior moneta cuderetur. Const. *a. 1632. p. 3.* Post mortem *Sigismundi III.* filius *Vladislaus IV.* in Pactis suis *Iżza śmierćią* cauit, neque Se, neque Successores sibi reditus ex moneta, perpetuis temporibus vindicaturos: quod a singulis Regibus in pactis repetitum.

2 Res monetalis nonnisi Reipublicae consensu ordinari consueuit. Iam *Casimirus M.* a. 1368. „de consilio & assensu Baronum & Procerum statuit, quod vna moneta in toto Regno haberi, eademque perpetua & bona in valore & pon„dere esse debeat. Lasco *Stat. f. 32. p. 2.* Pril. *Stat. p. 435.* *Vladislaus Iagello* pollicitus, „quod a modo & in antea, nunquam absque consilio, suasu, & „consensu & annuentia speciali Praelatorum & Baronum Regni, monetam cur„rentem in Regno, vel aliam extraneam, aut de nouo inuentam cudere faciet, aut „cudi permittet. Lasco. *f. 48. p. 2.* Pril. *l. c.* Idem a. 1430. nomine filiorum promisit: „quod postquam vnus illorum in Regem electus, sceptra Regni „amplectetur, monetam ex quocunque genere metalli absque consensu & consi„lio speciali Praelatorum & Baronum cudere non concedet. Dlvgoss. *L. XI. p. 539.* Lasc. *f. 51. p. 1.* Pril. *l. c.* Quare *Sigismundus Augustus*, quo se ad Maiorum exempla componeret, monetam tantum consensu in comitiis, secundum iura eo nomine scripta, cudere voluit. Vol. Const. *p. 4. §. chcącśię.* Pr. *l. c.* Vt largius videatur locutus *Konarscius*, Posnaniensis Episcopus, in Oratione, coram *Henrico* in Gallia habita, quasi monetam cudere ab vnius Regis pendeat voluntate. Fred. *Hist. Henr. p. 97.* Contrarium tum ex modo dictis, tum ex iis, quae ante & post *Henricum* de moneta in comitiis cum Ordinibus acta, con-

N stare

ſtare poteſt. Per PACTA *Vladislai IV.* & *Iohannis Caſimiri* §. *Iż za śmierćią,* monetae ordinatio, Reipublicae arbitrio plane ſeruatur. Idem fit a Succeſſoribus, § *Iż za abdykacyą* & §. *Iż prowent.* additurque, ne moneta ex Senatus conſulto a Rege cudatur, ſed vt de ea ſaltem in comitiis agatur.

3 Licet prouentus ex moneta, a Rege ad Rempublicam perueniſſet, non ideo tamen numis melius conſultum. Publica inopia, quae per bella & domeſticas turbas, Iohannis Caſimiri tempore, ſumma fuit, ac priuatorum mala fides, conflarunt pecuniam, quae priori longe vilior, rem familiarem grauiſſime afflixit. Quo ergo aduerſus hoc malum remedium pararetur, in comitiis conuocationis a. 1668. Ordines officinas monetales, vsque ad noui Regis electionem claudi iuſſerunt. KONFED. *a. 1668. p. 21.* §. *Chcąc.* Electo Michaele, clauſae nihilominus manebant officinae, neque toto Eius regimine aperiebantur, ſed Iohannes III. in PACTIS ſuis § *Iż prowent*, curae ſibi fore promittebat, vt poſt collata cum Ordinibus in comitiis conſilia, officinae quam primum recludantur, & pecunia iuxta ligam imperii & vicinorum Principum, tam ex argento, quam ex auro cudatur. Apertae etiam publica lege a. 1677. officinae; CONST. *a. 1677. p. 7. tit. Menica,* ſed clauſae iterum a. 1685. vsque ad futura comitia, CONST. *a. 1685. p. 8. tit. Zawaraćie*, ſimul ex ſenatorio & equeſtri ordine nominati, qui ad diem 24. Septembris, accitis Ducis Curlandiae, & maiorum Ciuitatum Pruſſiae, ius cudendae monetae habentium, delegatis, nec non aliis quorum interſit, cum iis, qui Caeſaris & Electoris Brandenburgici nomine adſuturi, de valore & qualitate numorum, conſilia ineant: eo fine, vt quidquid hanc in rem ſtatutum fuerit, ab omnibus, ſub rigore & poenis, in violatores pactorum & pacis publicae ſancitis, in quouis foro, ad cuiusuis inſtantiam irrogandis, obſeruetur. CONST. *a. 1685. p. 15. tit. Koaekwacya.* Coepit commiſſio demum die 11. Febr. ſequentis anni, praeſentibus, praeter Polonos, Electoris Brandenburgici Conſiliario Sculteto, ac Gedanenſium Syndico, neque tamen alia res conuenit, quam, vt commiſſio in diem 24. Sept. prorogaretur. Aderat tunc Caeſaris nomine, Baro Neidhard, placebatque per priuata colloquia, quod ex publica conſultatione nullus ſperabatur fructus, rem integram ad comitia differre. Verum ex Senatus conſulto, a. 1688. commiſſioni pro nouo congreſſu, vltima Maii dies conſtituebatur, ſed & ille fruſtra fuit, ne quidem praeſentibus, quorum adeſſe intererat, id tantum actum, vt monetale negotium iterum ad comitia prorogaretur. Re ergo hoc modo infecta, non apertae officinae, ſed Auguſtus II. ad exemplum Iohannis III. parem in recludendis illis, ac cudenda ad ligam imperii & vicinorum Principum moneta, curam, per PACTA ſua §. *Widząc iednak*, promittere neceſſe habuit. Commendatum etiam ſaepius a Rege, Ordinum conſultationibus in comitiis, negotium monetale, non tamen effici potuit, vt eorum decreto officinae recluderentur.

§. LXV.

LAPIDES REIPVBLICAE PRETIOSI.

Lapidibus Reipublicae pretioſis vti, & Theſaurum aperire, etiam ex Senatus conſulto, nemini permittemus, ſine ſpeciali Reip. conſenſu [1].

1 Regia inſignia, ac pretioſa alia Reipublicae, in Theſauro Regni, qui Cracouiae eſt, ſeruantur. Hic diuerſis clauibus, quae in diuerſorum manibus ſunt, clauditur & reſeratur, idque omnium Ordinum conſenſu. Sanciunt enim *Articuli Henriciani:* vt corona Regni Poloniae, in Theſauro Regni Cracouiae cuſtodiatur a Theſaurario, ſub ſigillis & clauibus, horum Senatorum, Caſtellani Cracouienſis, Poſnanienſis, Vilnenſis, Sendomirienſis, Caliſſienſis & Trocenſis, qui tamen aperire non debeant, niſi conſenſu communi omnium Ordinum. VOL. CONST. *p. 256.* §. *Korona. p. 277.* §. *Korona.* PACTA pariter Michaelis, Iohannis III. & Auguſti II. idem praecipiunt §. *Kleynotow*, ſcilicet, non ex Senatus conſulto, ſed conſenſu ſpeciali totius Reipublicae, Theſaurum eſſe aperiendum. Fuit ergo a. 1670. omnium Ordinum conſenſu reſeratus Theſaurus, vt corona aliaque in coronationem Reginae, Varſauiam deferrentur. CONST. *1670. p. 12. tit. Koronacya.* Quod & factum a. 1673. cum in alios vſus, nonnulla pretioſa recipienda eſſent. CONST. *1673. p. 17. tit. Komiſya.* Nec minus ratum habuit Reſpublica, cum a. 1700. ex Theſauro depromerentur, quae Electori Brandenburgico, ex nouo pacto, quo reddebat occupatam a Se Elbingam, pignori tradebantur. *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 906. 908.* Anno vero 1726. conſtitutum, vt reſerato Theſauro, omnia ea reponerentur, quae olim cura Primatis *Stanislai Szembek*, propter bellum Suecicum, vltra Regni fines, in loca ſecuriora abducta fuerant, ac iam a cognatis defuncti Primatis ſeruabantur. CONST. *1726. p. 59. tit. Oddanie.* Merito ergo generalis, poſt Regis electionem inita confoederatio, de legibus violatis queſta, cum inſcia Republica reſeratus Theſaurus, ac abductae inde eſſent coronae. KONF. §. *13.* Caeterum auctoritate Reipublicae, non tantum aperitur Theſaurus, ſed etiam luſtratur, ac indices eorum, quae in illo habentur, conficiuntur, ex Senatorio & equeſtri ordine, qui negotium illud peragant, nominatis. Fit hoc non tantum Rege viuente, ſed & Eodem defuncto, Interregni tempore, vt ex confoederationibus patet.

§. LXVI.

DE MENSIBVS MILITARIBVS.

Menſium militarium, qui *Towarzyskie* dicuntur, vt & praefectorum auctoramenti extranei [1], in actuali obſequio perſonaliter exiſtentium, in diſtributione panis bene meritorum [2], peculiarem habebimus rationem [3].

1 *Towarzysz* vocatur miles, auctoramenti Polonici, hoc eſt commilito, vnde menſes, qui illis vtiles ſunt, *Towarzyskie* appellantur. Praefecti vero auctoramenti extranei ſunt, qui Ordines inter Dragones, aut ſi mauis equites deſultorios, & pedites ducunt. De vtroque auctoramento dictum in ſuperioribus.

2 Veniunt hoc nomine bona Regia, Capitaneatus, tenutae & aduocatiae, vt ſuo loco monitum.

3 Cum milites in Comitiis a. 1662. de plurimis quererentur, ac diuerſa poſtularent, hoc inter caetera exigebant, vt per vices, vno anno togati ciues, altero milites, vacantium ex Regis munificentia participes fierent. Ad quod Regis nomine reſponſum: „cognoſcere S. R. Maieſtatem, diſtributionem in emeritos prae-„miorum, ad Se pertinere, & in eum diem Se omni ſtudio laboraſſe, quo virtuti „digna praemia conferrentur, ſed voluntatem Principis, facultatem bene faciendi „haud exaequaſſe: quo tamen aequiſſimo poſtulato ſatisfiat, quatuor menſes in

 „anno

„anno designari, quibus, quidquid bonorum Reipublicae, extincto fatis iure pos„sessorum, sub potestatem suae Maiestatis deuenerit, omne id viris militia claris tribuendum. KOCHOV. *Annal. Clim. III. p. 21.* Secuta est in iisdem comitiis constitutio, qua Rex promittit, capitaneatus, tenutas & terrestria munia, quae singulis annis, per menses Septembrem, Octobrem, Nouembrem & Decembrem, ad distributionem Regiam redierint, non nisi in militia bene meritis, habita in primis commendationis Ducum exercitus, ratione, collatum iri, salua electione ad munera terrestria, saluis capitaneatibus cum iurisdictione, ac muneribus terrestribus, in Palatinatibus & terris possessionatis, concedendis. CONST. *a. 1662. p. 10. tit. gratitudo.* Reuocauit sibi hos menses militares in memoriam Augustus II. ac curae sibi eosdem fore, in PACTIS suis §. *Za honory*, promisit.

§. LXVII.

ELECTIO ABBATVM IN MONASTERIIS OLIVENSI ET PELPLINENI.

Ordinis Cisterciensis monasteriorum Oliuensis & Pelplinensis iura, priuilegia, signanter liberam Abbatum suorum electionem [1] manutenebimus, hoc praecauto, vt personas nobiles, non plebeias [2] eligant, cuius electionis approbationem nobis reseruamus.

1 Duo haec monasteria, sita in Prussia, in Pomeraniae Palatinatu. Abbates illis praesunt, quos a se eligendos esse, monachi asserunt, aliis pro Regia nominatione, ex Patronatus iure, nitentibus. Ius tamen eligendi confirmarunt Reges, alleganturque Sigismundi Augusti, Vladislai IV. Iohannis Casimiri & Michaelis litterae. *Epist.* ZAL. *T. II. p. 791. s.* Inde Ordines Prussiae, aliquoties hanc Abbatum electionem, suis ad Regni comitia nunciis commendarunt, ac omissis exemplis aliis, a. 1678. illis iniunxerunt, priuatim Regi supplicare, vt monasteria Olivense & Pelplinense, circa liberam electionem, iuxta statuta canonica & priuilegia Serenissimorum Regum & antiquissimum vsum, conseruare dignetur, simul vt id lege publica caueatur, contendere. Nihilominus nominati interdum a Regibus Abbates, imo a. 1589. praelatus per Regiam nominationem, *Konarscius*, Clementi Montano, a Monachis Oliuensibus in Abbatem electo. *Epist.* ZAL. *T. II. p. 815.* Iohannis III. tempore *Hackius* primum Coadiutor, post Abbas Oliuensis, ex Regia nominatione factus, Ordinibus Prussiae aegre ferentibus. Augustus II. in propositionibus PACTIS suis adiectis §. *A że kontrowersya*, obtulit, collaturum Se Abbatiam Oliuensem, ad malam informationem impetratam, personae capaci nobilitari. At cum in comitiis a. 1699. legum executio, aduersus eos, qui citra Regiam nominationem Abbatias tenerent, decerneretur, exceptae ab hoc rigore Abbatiae Prutenicae, CONST. *1699. p. 48. tit. ius Patronatus*, quo saluum iis maneret electionis ius, credebaturque, id precibus Culmensis Castellani, *Prependouii*, Regia gratia validi, datum, ne frater, qui Coadiutor Oliuensis Abbatiae electus, hac dignitate excideret. *Epist.* ZAL. *T. II p. 782.*

2 Vt caeteris dignitatibus, sic Abbatiis in Polonia plebeii arcentur. Sigismundus I. tum demum admitti voluit plebeium, si Nobilis idoneus in promtu non

non esset. Idem non alium Se praesentaturum, ordinario loci Episcopo promisit, nisi nobili loco natum. Et Sigismundus Augustus sanxit, vt Abbas sit nobilis ex patre & matre generis, & homo idoneus. HERB. *Stat. tit. Abbates.* In Prussia quidem nulla extat lex, quae solos Nobiles ad Abbatias admittit, vsu tamen recentiorum temporum obtinuit, vt illis tantum Abbatiae contingant. Quare allegatus *Hackius* & hoc nomine displicuit, quod non Nobilis.

§. LXVIII.

SVMMAE NEAPOLITANAE.

Vindicatio summarum Neapolitanarum cum censibus [1], cura & impensis Reuerendi in Deo, Patris Christophori Szembek, Episcopi Cuiauiensis, iam bene in vias plenas directarum, vt ad optatum perueniat effectum, & Respubl. celeriorem accipiat satisfactionem [2], bona officia nostra & interpositionem, apud aulam Viennensem [3] adhibebimus.

1 Neapolitanae summae, ortae ex haereditate Bonae Sfortiae, Ducis Mediolanensis, Iohannis Galeacii filiae. Altera haec Sigismundi I. coniux & Sigismundi Augusti, nec minus quatuor filiarum mater, post mariti mortem, a. 1556. in Italiam abiit, ac in Regno Neapolitano, Barii in breue tempus sedem fixit, cum intra biennium decederet. Transmisit Illa per testamentum Ducatus Barensem & Rossanensem, quos a matre acceperat, Regi Hispaniae, qui simul Rex Neapolitanus, soboli vero summam, quadringentorum triginta millium ducatorum Neapolitanorum, aut numorum Imperialium, Regi Hispaniae mutuam datam, seu potius annuum foenus ex illa summa, quod alii ad triginta octo millia & octoginta sex Ducatos Neapolitanos, alii ad triginta quatuor millia imperialium numorum redigunt, reliquit. PIASEC. *Chron. p. 236. Ep.* ZAL. *T. I. p. 506.* Haec est illa summa Neapolitana, cuius passim in Historia Polona mentio fit, sic dicta, quod foenus ex certis bonis Neapolitani Regni soluendum. Erant haeredes filius Sigismundus Augustus & filiae, illoque sine prole extincto, duo supererant, Sigismundus, Bonae ex filia Catharina nepos, Sueciae princeps, & Anna filia minima natu, Regis Stephani vxor. Ex his Sigismundus electus post Stephanum, Poloniae Rex, per pacta conuenta, VOL. CONST. *p. 452. §. pecuniam*, suam portionem Reipublicae Polonae donauit, hancque donationem, tempore coronationis, singulari scripto, coram actis castrensibus Cracouiensibus rata habuit. Supererat altera portio Annae, viduae Stephani, quae post mortem ad Sigismundum sororis filium peruenit, quamque sibi pariter vindicauit Respublica, ac suo iuri non obesse credit, quod summas Neapolitanas, Sigismundo III. eiusque Filiis & Successoribus, Vladislao I. & Iohanni Casimiro permiserit, ac vterque filius de iisdem cum Republica nihil constituerit, licet in PACTIS suis §. *summy.* §. *A z strony*, pollicitus, Se cum Ordinibus in sua coronatione deliberaturum. *Epist.* ZAL. *T. I. p. 507.* Post obitum Iohannis Casimiri, coepit Respublica exigere Neapolitanas summas, compellando tum Regem Hispaniae, tum Illius nomine Regnum Neapolitanum curantem, simul remouendo eos, qui pecuniam illam sibi deberi postulabant. Fidem facit Legatus, ab Ordinibus ad Regem Hispaniae a. 1674. missus, qui edocet, Rempublicam statim a morte Serenissimi & Catholicissimi

fimi Regis Iohannis Cafimiri, fummas Neapolitanas, quae poft obitum Bonae, Reginae Poloniae, iure haereditario, Sigismundo Augufto cefferint, hoc autem mortuo, in fororis filium Sigismundum III. itidem per haereditatem transmiffae, & poft Eum, per filios Vladislaum IV. & Iohannem Cafimirum poffeffae fuerint, tradi fibi poftulaffe, eoque nomine per plenipotentiarium, Iacobum Lombardi, apud Vice-Regem Neapolitanum inftitiffe; fed in concurfu competitorum ad easdem fummas, Palatinae Rheni, ex teftamento Regis Iohannis Cafimiri, infcriptae haeredis, & Chriftinae Reginae Sueciae, ius fucceffionis poft Patruelem allegantis, Rempubl. nihil obtinuiffe; niti illam optimo iure pactorum conuentorum, circa electionem Sigismundi III. tum fub tempus coronationis folenni diplomate infcriptae donationis; proinde orare Ordines Regni, iubeat Rex non alteri cuipiam, fed Reipubl. Polonae, dictas fummas ac earum prouentus, cum vfufructu fine mora & difficultatibus tradi, & in eum finem mandatum ad Vice-Regem Neapolitanum expedire dignetur. *Epift.* ZAL. *T. I. p. 529.* Sed manfit adhuc Respublica, vt vocamus, in petitorio.

2 Commiffum hoc fuit negotium ab Augufto II. Reuerendiffimo ac Excellentiffimo Epifcopo Cuiauienfi, cuius indefeffum per XX. annos ftudium, generalis in comitiis conuocationis inita confoederatio, laudat, fimul Eum amore Patriae obftringit, vt in eadem cura pergat, vtque res illa pactis conuentis futuri Regnantis inferatur, fancit. KONF. *p. 17. §. 70.*

3 Magna tamen ex illo tempore contigit mutatio, dum Neapolitanum Regnum, vnde illae fummae petendae, Carolum Hifpaniae Regis filium, recepit Principem: cum quo, non cum aula Viennenfi iam agendum erit.

§. LXIX.

THESAVRARIATVS CVRIAE REGNI.

Munus Thefaurariatus curiae Regni, iuxta antiquum ftatutum Regis Alexandri [1], fecundum Conftitutionem anni 1607. [2] & penes recentiora iura, ad illud pertinentia [3] confirmamus, illudque in receptione prouentuum ex bonis oeconomicis Regiis, ac reditibus folitis, fine vlla praepeditione perfonarum ecclefiafticarum, inuiolabiliter cuftodimus [4].

1 Duo funt in Polonia Thefaurarii, alter Regni, feu Thefaurarius magnus, alter Curiae, qui & Vice-Thefaurarius appellatur. Vtriusque munia ordinat ftatutum Alexandri, in comitiis Petricouienfibus a. 1504. defcriptum. Et quod ad curiae Thefaurarium attinet, exigitur ab illo, vt ab aula nunquam remouendus, abfente Regni Thefaurario, omnes pecunias redituum Regalium & alias vndecunque ad Maieftatem Regiam datas, in Thefaurum recipiat, & illas cum confilio officialium & confiliariorum curiae, mandante Maieftate Regia difpenfet, & omnia alia faciat cum curienfibus & ftipendiariis, quae Thefaurario Regni incumbunt: hoc vero praefente, nihil eorum attentet, quae ad Thefaurarium Regni pertineant, fed cum eius fcientia & confilio difpenfet & faciat, quidquid debet. Porro requiritur, vt fit iuratus & idoneus, ad rationes tam publicas terreftres, quam priuatas Regias, fic, vt omnibus rationibus, abfente Regni Thefaurario ac etiam praefente interfit, & earum regeftra feruet, difpenfatores inftituat vtiles, & inutiles deftruat, faciatque cum illis rationes, vt Maieftas Regia & quilibet intelligat, eum diligenter attendiffe, ne pecuniae Maieftatis Regiae inaniter, infideliter aut prodige difpenfarentur. LASC. *Stat. f. 114. p. 1.* PRIL. *Stat. p. 199.* HERB. *tit. Thef.*

2 Per Conft. allegatam, VOL. CONST. *p. 841. tit. O urzędzie*, firmantur iura Thefaurarii curiae, in ftatuto defcripta, vt illis, abfente ab aula Thefaurario Regni, vtatur.

3 Non tamen reperiuntur in legibus iura illis recentiora, quae Alexandrinum ftatutum defcripfit.

4 Totum hoc caput, iisdem plane verbis, §. *vltimo* pactorum Augufti II. legitur, videnturque iura Thefaurarii curiae, tempore Iohannis III. imminuta, quod poft Eius mortem in pactis Succefforis, illorum integritati profpici debuerit.

§. LXX.

IVRA ACADEMIAE CRACOVIENSIS.

Academiam Cracouienfem [1], vti meritiffimam Reipublicae omnium fcientiarum magiftram, circa inftructionem ftudioforum infatigabilem, & circa productionem magnorum & dignorum virorum follicitam [2], in antiquis iuribus & priuilegiis nunquam mutandis conferuabimus [3]: imo in augmentum vlterioris noftrae beneuolentiae erga illam, occafionem nullam omittemus.

1 Eft haec Academia in Polonia omnium antiquiffima, quam animo agitauit *Cafimirus M.* fed *Vladislaus Iagello*, excitatus ab *Hedvige* coniuge, anno 1400. perfecit. DLVGOSS. *L. X. p. 167.* litteris fequenti datis, quibus profitetur, fe confenfu Papae Bonifacii IX. ftudium generale, in Theologiae, feu facrae fcripturae, Iuris cononici, Phyficae, legum & artium liberalium facultatibus inftituiffe, temporibus perpetuis duraturum. PRIL. *Stat. p. 155.* ZALASZ. *Iur. Pol. T. I. p. 568.*

2 In hunc enim finem *Vladislaus* academiam inftituit, „vt effet fcien„tiarum praeualentium margarita, vt viros produceret, confilii maturitate con„fpicuos, virtutum ornatibus redimitos, & variae facultatis doctrinis eruditos, „fieretque illis fons doctrinarum irriguus, de cuius plenitudine, haurirent vniuerfi, „litterarum cupientes imbui ornamentis. PRIL. *l. c.*

3 Prima fua iura & priuilegia debet academia, conditori *Vladislao Iagelloni.* Hic a. 1400. in ipfo eius initio, res ftudioforum omnibus vectigalibus exemit; eosdem in caufis ciuilibus ac iniuriis leuioribus, criminibus ignominiofis & capitalibus exceptis, iurisdictioni Rectoris, fine vlteriori prouocatione fubiecit; pro lectionibus habendis certam domum, tributis liberam conceffit; Doctoribus fingulis, ex telonio Cracouienfi, centenas marcas annuas affignauit; ac Epifcopum Cra-

Cracouienſem, omnium libertatum, immunitatum & ſtatutorum conſeruatorem & vindicem conſtituit: addita comminatione diuinae irae, miſerabilis infelicitatis & horrendi euentus, ſi quis memorata iura & immunitates violauerit. ZALASZ. *l. c. p. 582.* Idem *Vladislaus* anno ſequenti, academiae tres Regias Cancellarias, nec non ius Patronatus omnium beneficiorum eccleſiae S. Floriani, praepoſitura, cuſtodia & duabus villis tantum exceptis, contulit. ZALASZ. *p. 569. Sigismundus Auguſtus* ac *Stephanus* dictam praepoſituram cum omnibus fructibus adiecerunt, ratam, conſenſu Ordinum, habente donationem *Sigismundo III.* ZALASZ. *p. 578. Sigismundus I.* omnes Profeſſores equeſtri dignitate ornauit, vt iisdem, quibus nobiles indigenae, fruerentur iuribus, huncque honorem etiam ad legitimam ſobolem transmitterent, qui per viginti annos continuos, lectionibus publicis operam nauauerint. ZALASZ. *p. 560.* Haec & alia iura, in vnum congeſſit ZALASZOVIVS *in Iure Regni Poloniae L. I. tit. 21. p. 566. & ſeq.* quorum, nec minus totius Academiae curam, Reges ſibi habuerunt quam commendatiſſimam. *Sigismundi* enim *Auguſti* tempore ſancitum, cum aliis & Cracouienſem ſcholam in meliorem ordinem redigere. VOL. CONST. *p. 30. tit. O ſzkolach. Henrici* nomine in pactis promiſſum: „eandem ad meliorem frugem rei litterariae reduce„re, euocatis eo vndecunque doctiſſimis viris; in qualibet profeſſione & facultate „litteraria excellentiſſimis Profeſſoribus, Regiis ſtipendiis alendis & perpetuo „retinendis. VOL. CONST. *p. 225. Sigismundus III.* per conſtitutionem omnia priuilegia approbat & integrum illorum vſum firmat. CONST. *a. 1613. p. 9 tit. Akademia. Vladislaus IV.* & *Iohannes Caſimirus* in PACTIS, §. *Iż dla nawalności*, polliciti, lites, academiae Cracouienſi motas, componere. *Michael* vero & *Iohannes III.* §. *vltimo* PACTORVM integra fore iura, fidem dederunt: quod pariter ab *Auguſto II.* in *propoſitionibus* ſuis, circa finem factum. Adhaec illius priuilegia a. 1632. CONSTITVTIONE *p. 26. tit. Akademia*, iterum roborata, nec minus a. 1635. quae *p. 11.* eodem titulo reperitur, qua ſimul Patribus S. I. iniungitur, ſcholas in academiae damnum apertas claudere, ac vllas perpetuis temporibus, ſine omnium Ordinum conſenſu, Cracouiae, aut in ſuburbiis inſtruere prohibentur. Per CONSTITVTIONEM *a. 1655. p. 4.* expeditione militis pedeſtris, & per aliam a. 1658. *p. 39.* tributis a ciuitate pendi ſolitis, academia liberata fuit. Vt plura in hanc rem omittamus, a. 1710. exactionibus militaribus immunis declarata. POPARCIE *p. 74. tit. Akademia*, & in vltimis comitiis conuocationis, Ordines eandem cum omnibus ſuis priuilegiis & immunitatibus conſeruari voluerunt. KONFED. *p. 14. §. 59.*

§. LXXI.

DE ACADEMIA VILNENSI ET COLLEGIO POLOCENSI.

Similiter academiam Vilnenſem, cum omnibus iuribus & priuilegiis [1] ab Anteceſſoribus noſtris conceſſis, ac nouiter a Sereniſſimo ſanctae memoriae Rege Auguſto II. priuilegio firmatam, cum exercitio omnium ſcientiarum, ſimul fundationem collegii Polocenſis penes omnia iura, ſecundum conſtitutionem a. 1717. huic collegio ſeruientem [2] conſeruare promittimus.

1 Academia Vilnenſis in Lituania a Rege *Stephano* a. 1579. condita, ac Patribus S. I. mandata, domos, aras, ac fundos, *Valerianus* loci Epiſcopus largitus. Eidem Regi debet, prima ſua priuilegia ſigillo Lituaniae minori roborata, quae aucta a Succeſſoribus, in comitiis Coronationis *Iohannis III.* publica lege firmantur, CONSTIT. *Litu. a. 1676. p. 13. tit. approbatio priuileg.* nec minus illorum integritati a. 1733. in comitiis conuocationis proſpicitur. KONFED. *p. 14. §. 59.*

2 Collegium Polocenſe S. I. Patrum, *Stephanus* pariter inſtituit. Obuenerant illi bona, de quibus diſceptabatur, vtrum terreſtria an Regia eſſent, adeo vt in naturam eorundem per commiſſarios a. 1699. inquiri debuerit. CONST. *a. 1699. p. 71. tit. Komiſya.* Cum vero planum hoc modo fieret, eſſe terreſtria, fas erat, vt horum iure gauderent. Et illud eſt, quod allegata CONSTITVTIO inter Lituanicas *p. 17. tit. aprobacya. §. oraz*, ſancit.

§. LXXII.

VRBS CRACOVIA IN MELIOREM STATVM RESTITVENDA.

Vrbs Cracouia, quondam Sereniſſimorum Anteceſſorum noſtrorum dilecta & delecta reſidentia [1], & nunc ex multis cauſſis in ruinam vergens [2], commercia quoque ibidem labentia [3] ſingularem a Nobis exigunt conſiderationem: quare non ſolum eam circa antiqua iura, priuilegia, conſtitutiones, praerogatiuas & immunitates conſeruabimus [4], ſed etiam ſedem noſtram captato opportuno tempore, per interualla conſtituere, & vlteriori ruinae tam celebris in Europa vrbis occurrere, imo de modis, quibus emolumenta eius procuranda, cogitaturos Nos obſtringimus.

1 Ciuitas haec, totius Poloniae caput, ab antiquiſſimis temporibus Ducum ac Regum ſedes fuit, quae regnante Sigismundo Auguſto, transferri coepit Varſauiam, ac durat. Id ex veteri dignitate retinet, quod per leges, non niſi ibi Reges coronari poſſint, ac prima horum comitia a coronatione dicta, habeantur.

2 Non est inter postremas caussas referenda, sedes Regia alio translata, siquidem ex illo tempore minus frequentari coepit. Accedunt bina bella Suecica, quae opes eius admodum afflixere.

3 Floruit olim vrbs illa non vnius generis commerciis, cum negotiatorum Germanorum & Italorum industria ferueret. Supersunt hodie vestigia, ex quibus priorum temporum opulentiam colligere licet.

4 Iura vrbis Cracouiensis, per constitutiones dispersa, vna serie exhibet LADOVSCIVS in constitutionum indice *p. 266. & seq.* edit. nouae. Eadem primus ex Regibus *Augustus II.* cum Regiam dignitatem peteret, approbauit, & de subueniendo labenti ciuitati, in coronatione sua deliberaturum promisit. PROPOSIT. *§. miasta.* CONFOEDERATIO vero GENERALIS *a. 1674. p. 30. §. Miasto stołeczne* eandem penes iura & praerogatiuas conseruat, quod CONFOEDERATIO in comitiis conuocationis a. 1733. *p. 14. §. 59.* repetit. Neque aliud volunt CONSTITVTIONES a. 1676. *p.* 47. a. 1710. *p.* 74. & a. 1717. inter Lituanicas *p. 15.* quae postrema simul constitutiones annorum 1578. 1581. 1598. 1601. 1633. 1667. & 1690. roborat.

§. LXXIII.

IVRA CIVITATIS VARSAVIAE.

Ciuitatem Varsauiensem circa iura antiqua conseruabimus [1].

1 Primaria Masouiae vrbs est Varsauia, Regia sedes, comitiorum in Polonia, praeter coronationis, locus ordinarius, nec minus ob Regum electiones, quae prope illam peraguntur, celebris. Iura eius index constitutionum LADOVSCIANVS *p. 291.* recenset, quae, siue Ducibus Masouiae siue Regibus Poloniae debeantur, siue antiqua siue noua fuerint, per CONSTITVTIONEM a. 1676. *p. 48. tit. Miasto* rata habentur, nec minus CONST. *a. 1710. p. 75.* integra esse iubet: in quo CONFOEDERATIONES annorum 1660 *p. 22.* & 1674. *p. 30.* praeiuerunt.

§. LXXIV.

TATTARI IN LITVANIA.

Tattari in magno Ducatu Lituaniae habitantes [1], iure terrestri secundum antiqua Ducum Lituaniae, & postea Serenissimorum Regum, sanctae memoriae Antecessorum nostrorum, priuilegia ipsis concessa & confirmata [2] gaudentes, tanquam homines Reipublicae & Regibus suis fideliter & probe parentes, hanc inuenerunt apud Nos considerationem, vt illos penes omnia sua iura antiqua conseruare velimus, quare Constitutiones illis seruientes [3] in toto, tam respectu bonorum terrestrium, quam oeconomiarum legitime acceptarum, approbamus.

1 Habitant in Volhinia & Lituania Tattari, quorum maiores olim sedes suas illuc transtulerunt, impetrata degendi facultate. Militant Reipublicae constituto

stipendio, ac bona acquisiuerunt, quae iure terrestri possident. CONST. LITV. *a. 1677. p. 16. tit. O Tatarach & a. 1726. p. 87. tit. dochody.*

2 Factum id, vt alia exempla omittamus, CONST. LITV. *a. 1673. p. 20. tit. O Tatarach.*

3 Quae in CONST. LITV. *a. 1717. p. 21. tit. obwarowanie,* & *a. 1726. p. 105. tit. O Tatarach,* recensentur.

§. LXXV.

CONTROVERSIAE CVM CAESARE DE FINIBVS.[1]

Vt obuenientes cum Caesarea Maiestate de finibus controuersiae, & aliae incolarum Reipublicae postulationes [1] finaliter componantur [2], cum debita eorum, qui iniurias passi, satisfactione, interpositionem nostram Regiam, ad Serenissimum Imperatorem deferemus.

1 In comitiis Varsauiensibus d. 30. Decembr. a. 1719. coeptis, publice audita fuit querela, turbatos inter Silesiam & Poloniam, parte Capitaneatus Olstinensis intercepta, limites, ac possessionibus Capitanei Bobrussensis vim illatam esse.

2 Antiqua ac tum olim, tum nuper a. 1732. inter Imperatorem Domumque Austriacam ac Regem Poloniae repetita pacta, praescribunt modum, quo controuersiae, si quae, vel inter Principes, vel inter eorum ciues, siue ob limites, siue ex alia caussa ortae, componendae: scilicet, vt Principes per nuncios aut litteras se inuicem de iis certiores reddant, ac vt tollantur moneant; postea ab vtraque parte commissarii constituantur, qui prius negotium amice transigere tentent, id si non successerit, iure dirimant, discordes vero de sententia, arbitrum ex se legant, cuius decreto stetur. CHVAL. *Iur. Publ. II, 7. p. 267.*

§. LXXVI.

OBLATA REIPVBLICAE PRAESTANDA.

Propoſitiones [1] per miniſtros plena facultate inſtructos [2], Ordinibus Reipublicae oblatas, in praeſentibus pactis conuentis expreſſas, quod ſacroſancte manutenebimus, verbo Regio ſpondemus, easdemque pactis conuentis iunctas [3], ſacramento noſtro confirmabimus [4], & quicquid ex re & commodo Reipublicae proficuum fuerit, nulla occaſione, pro poſſibilitate Noſtra, omittemus.

1 Propoſitionum vocabulo veniunt ea, quae eorum nomine, qui Reges eligi volunt, Reipublicae offeruntur. Coeperunt eodem, quo pacta conuenta, tempore, quorum initium ad *praefationem* praeſentium memorauimus. Ratio in promtu eſt, quod non poſſint in pacta referri, niſi oblata prius Reipublicae, ac ab eadem rata habita fuerint. Neque vſu propoſitiones a pactis differunt. Michael & Iohannes III. ante electionem Reipublicae nihil promiſerunt, quod alter inſcius imo inuitus electus, alter Regnum appetere videri nolebat: vterque tamen poſt electionem, cum pacta ſcriberentur, per legatos ſuos expoſuit; quid a ſe expectandum Reipublicae, & quomodo imperium adminiſtrare vellet.

2 Vt candidati non ipſi, ſed per legatos Regnum petunt, ſic ab his accipit Reſpublica, quae illorum nomine offeruntur, exhibita, qua muniti facultate. Sacra Regia Maieſtas ad electionis comitia, duos miſit legatos, Ioſephum Antonium Gabaleonem Comitem *de Wackerbart-Salmour*, conſiliarium primi ordinis intimum, & *Gvelph. Henr. a Bauditz*, equeſtrium copiarum ducem, vtrumque Conclauis Regii ſecretioris miniſtrum, quorum facultas, in Conſtitut. pactis conuentis adiicitur.

3 Propoſitiones, ſi placerent, ſolebant pactis tantum inſeri. Auguſti II. nouo exemplo pactis ſeorſum adiectae, ita tamen, vt nonnullae pactis paſſim immiſcerentur: quod & in praeſentibus fieri placuit.

4 Pactis ſcriptis ac probatis, primum legati, ſi abſens fuerit Rex electus, iurant, hunc eadem rata habiturum, poſtea ipſe Rex per Deum & ſancta euangelia, ſe pacta ſeruaturum & adimpleturum. Obtinuit id ab *Henrici* tempore, qui Ipſe tamen in ſacramento Pariſiis in iura & priuilegia recitato, pactorum ſigillatim non meminit, licet in illa iuraſſent legati. *Stephanus* contra & *Sigismundus III.* cum iuribus & priuilegiis, in ſuo iureiurando pacta conuenta nominarunt. Poſt *Sigismundum III. Vladislaus IV.* primum peculiare ſacramentum in ſola pacta conuenta praeſtitit, cuius exemplum in ſucceſſoribus ſeruatum: ac eodem modo Sacra Regia Maieſtas, pacta haec ſua in ciuitate Tarnomontana ſeu Tarnouicenſi, cum pro coronatione Cracouiam peteret, d. 6. Ianuar. anni 1734. roborauit.

PROPO-

PROPOSITIONES.

I.

Quoniam nemo dubitare poteſt, Sereniſſimum Principem Regium Poloniae, Electorem Saxoniae, eſſe verum & indubitatum Catholicum, tantoque zelo, religione ac pietate, ſanctae & vniuerſali matri Eccleſiae Romano-Catholicae iunctum & addictum, vt pro integritate, veritate & defenſione eius, omnes vires & quicquid cari habet, impendere non recuſaret: operae pretium non eſt Orthodoxis Sereniſſimae Reipublicae [1] Ordinibus, veritatem hanc ſuperfluis probare argumentis. Vniuerſus enim orbis videt, miratur & magni facit, veram, non vanam, nec fucatam Principis huius religionem, quam propriis ſuis meritis & virtutibus ita exornat, vt in exemplar praeſentis noſtri ſaeculi, a Deo datus intelligi poſſit. Iuncta enim in eo eſt, puritati religionis omnium virtutum norma, quae & Principem ad magna natum, & virum honeſtum in omnibus conſpicuum reddunt. Nullum in eo datur vitium, quo ſummae eius animi dotes, aut imminui, aut ab ipſa inuidia obumbrari poſſint. Iunxit iuſtitiae clementiam, fortitudini conſilium, rebus gerendis prudentiam, potentiae moderationem, auctoritati gratiam, opibus liberalitatem, fortunae ſuae temperantiam, alienae curam. Procul ab eo ira & vindicta, fidei violatio, meritorum obliuio, aut beneficiorum tarditas. In excipiendo clemens, acceſſu facilis, comis omnibus & affabilis.

2. Deducere Sereniſſimam eius ſtirpem non eſt momenti praeſentis, hanc enim iam in Sereniſſimo olim Rege Auguſto, Parente eius deſideratiſſimo, probe cognouit Reſpublica. Enim vero, quod in noſtro Principe Regio ſingulare & praecipuum eſt, ille illuſtris ſanguis, qui ex vetuſta familia Iagellonis per duodecim cognationes [2], in venas eius deriuatur, purus & calens adhuc in ipſo durat, & in inclytam gentem Polonam, viuo naturalique inclinat amore. Per hos inaeſtimabiles tanti ſanguinis influxus, exiſtimat Princeps Regius, apertam ſibi eſſe viam, ad ampliſſimos nationis Polonae inuictiſſimae affectus, quos non marceſcentes ac vltra patrios fines protenſos [3] erga ſtirpem Iagellonicam, ſaecula probant, adeo, vt hac prorſus ratione non degener ramus, Sereniſſimus Princeps Regius, liberrimis Reipublicae Polonae ſuffragiis, ſe ſortemque ſuam tradere, & vti facit, impenſe commendare non diffidat.

3. Per hunc ſanguinem, & per hanc cognationem, neque pro extraneo neque pro indocili iurium & Polonae libertatis inſtitutorum haberi poteſt, Sereniſſimus Princeps Regius, Elector Saxoniae, quin imo in non vana ſpe ponit fiduciam, quod & hac in parte fidus acceptusque erit liberis ſuffragiis

 electoris

electoris populi, quae solo bene merendi studio, non vlla alia caussa ac ratione mereri ac in se deriuare cupit.

4. Et sicut Serenissimus olim Rex, Parens eius, liberis electus suffragiis, & nullis fortunae aduersae casibus, per Dei gratiam a Regno amotus, iura & libertates eius intacte seruauit & auxit, vsibusque publicis Serenissimae huius Reipublicae vitam litauit, nec vllum ius speciale, Serenissimo Principi Regio, filio suo, ad petendam coronam reliquit, aut quidquam eum in finem toto tractu vitae suae tentauit, sed integram & liberam hac in parte electionem inclytis Reipublicae Ordinibus reliquit; ita & Serenissimus Princeps Regius, solis liberrimae gentis suffragiis & affectibus se permittens, postea, quando prouidentia diuina sic disponente, & Serenissimae Reipublicae assensu accedente, Rex electus erit, promittit, se pactis conuentis [4] iureiurando firmandis, simul diplomate quam sufficientissime Serenissimae Reipublicae confirmaturum, quod tantum liberis suffragiis, & non alio quouis praetextu aut colore, solium hoc Regium ascenderit, & quod haeredes nullum peculiare ius [5] aut iuris speciem, quo Regnum hoc sibi petant, sint habituri, sed quod liberum per omnia Reipublicae, post sera fata, in Regem, quicunque placuerit, sibi eligere.

5. In maiorem huius rei securitatem, guarantiam quam solennissimam, procurabit Serenissimus Princeps Regius, si id Reipublicae necessarium videbitur: pari securitate omnes Regni huius libertates, immunitates, cautiones, praerogatiuas, priuilegia, iura tenere religiose spondet, ineundaque pacta conuenta, inuiolabiliter obseruare promittit.

6. Regnum hoc celeberrimum, & prouincias ad illud pertinentes, secundum leges, constitutiones & ordinationes suas gubernabit, idque consilio Senatus, Ministrorum & Ordinum Reipublicae. Ne vero ministerium Saxonicum, vllo quopiam modo & praetextu, in Regni huius promotiones & dispositiones se ingerat, Serenissimus Princeps Regius art. 11. §. 5. in tractatu a. 1717. expressum, desuper obseruabit [6].

7. Tranquillitatem internam, qualis a Serenissimo, piae memoriae, Rege, Parente suo gloriosissimo stabilita est, & vnionem animorum inter Ordines & ciues patriae summa cura seruabit & tuebitur.

8. Pacem externam, amicitiam & bonam viciniam, cum Principibus externis, quibus Serenissimus Princeps Regius non est obnoxius, quibusque nullam inimicitiarum occasionem dabit, tuto colet [7].

9. Curlandiam [8] aut aliam quamcunque prouinciam, a corpore Reipublicae auelli [9], haud patietur.

10. Et

10. Et casu quo Serenissima Respublica bello peteretur, & auxilium in armis praetenderet, Serenissimus Regius Princeps Augustus, Elector Saxoniae, in tali necessitate, in quantum Serenissima Respublica, copias auxiliares desideraret, declarat, se easdem in necessitatem, & iuxta tenorem desiderii Reipublicae suppeditaturum, sumtibusque suis pecuniariis sustentaturum, excepto tantum pane pro milite, & pabulo pro equis [10].

11. Promittit quoque Serenissimus Princeps Regius Camenecum Podoliae [11] & fortalitium Sanctissimae Trinitatis [12], ad meliorem, quam nunc sunt, defensionem, propriis sumtibus reducere.

12. Armamentaria Reipublicae, quatenus apparatu bellico instrui possint, Serenissimus Princeps Regius vna cum Republica efficaciter modum inire, & ex parte sua in eam rem contribuere declarat [13].

13. Scholam seu academiam militarem, vt exerceant se iuuenes Poloni, bellicis artibus operam daturi, propriis sumtibus seruabit [14], donec Respublica certum fundum procurauerit.

14. Domum quoque seu Xenodochium [15], pro militibus infirmis viribus, exstruere Serenissimus Princeps Regius declarat, vbi certus numerus bello fractorum, tam Polonici quam externi auctoramenti, militum, sufficienter ex liberalitate Principis Regii sustentabitur.

15. Simul Idem Serenissimus Princeps Regius, ex singulari erga Rempublicam, & eius commodum, studio & propensione, ad leuandas necessitates publicas, tres milliones florenorum Polonicorum offert [16].

16. Quoniam vero Serenissima Respublica, non tantum domi, armis & consilio, sed etiam extra fines, legationibus & cultura concordiae cum exteris Principibus niti debet, inde huic rei conueniens, vt ad exemplum aliarum nationum, ministros suos, in aulis externis & praecipue vicinis habeat: quod vt eo facilius fieri possit, Serenissimus Princeps Regius, ex liberalitate propria, summam centum millium florenorum Polonicorum, ex prouentibus suis oeconomicis, ad subueniendum Thesauro Regni, singulis annis, in eiusmodi legationes se assignaturum declarat [17].

17. Et quoniam hoc praecipuum Regum Poloniae ius, quod habeant in manibus suis, iustitiam distributiuam, ideo Serenissimus Princeps Regius, postquam eodem ex liberis suffragiis potitus fuerit, gratias, beneficia, & munia Regni, non aliter dispensabit, quam conformando se ad praescripta legum, & secundum merita, nec alia, sed tantum virtutis commendatione & distinctione [18]. Nam magnanimitas huius Principis fugit indecens & vanum lucrum [19].

18. Men-

18. Menſium quoque militarium, in conferendis praemiis, iuſtam habebit rationem [20], adminiſtrationibusque oeconomicis, ſecundum leges patrias tantum nobiles poſſeſſionatos Regni & prouinciarum ei iunctarum, admouebit [21].

19. Salisfodinarum & earum conſeruationis, ne ruant aut deſtruantur, ſummam habebit curam. Salem quoque nobilitarem, *Suchodniowa* dictum, punctualiter nobilitati, ſecundum antiquum vſum, integre extradi iubebit, atque illis Palatinatibus, qui eum in lapidibus crudis, alias *w balwanach* recipiebant, pari modo tradetur [22].

20. Metallorum fodinas, in primis Olkuſſenſes, quibus aerarium publicum ſubleuaretur, aperiri & reparari curabit [23], operamque ſuam in id intendet, vt ius cudendae monetae, & officina monetalis, iam admodum neglecta reſtauretur, & moneta non iuſti valoris, per quam Reipublicae quotidie intolerabile infertur damnum, corrigetur, & ad pedem & valorem iuſtum reducatur. Curam quoque & officia ſua Sereniſſimus Princeps Regius interponet, vt exteri Principes, aequalis & probati valoris monetam, in commerciis cum Regno Poloniae adhiberi faciant [24].

21. Commercia pariter, per quae emergunt & diteſcunt Regna, neruusque rerum augetur, vt in emolumentum Reipublicae, ad priſtinum florem redeant, & cum iis incolarum Regni & vrbium opulentia, ſplendor & felicitas reduci poſſent, Sereniſſimus Princeps Regius operam ſuam nauabit, atque omnes difficultates, quae impedimento ſint, ſtudio & officiis ſuis, apud vicinos Principes amoueri curabit [25].

22. Sacellum Cracouiae & perpetua ſuffragia [26] pro Regibus Poloniae inſtituet.

23. Et cum Idem Sereniſſimus Princeps Regius, Elector Saxoniae, ob amplas & locupletes prouincias ſuas, ſufficientibus gaudeat facultatibus, ideo a Republica neque Ipſe [27], neque Sereniſſima eius ſoboles [28] quicquam ſibi depoſcet, quin imo in publicum commodum, facultates quas ipſi Deus conceſſit, impendet.

24. Quoniam vero omnibus conſtat, Sereniſſimum Principem Regium, Saxoniae Electorem, iuſtum eſſe Principem, catholicum orthodoxum, fidei verum obſeruatorem ac immutabilem, dubitare minime poteſt Respublica, Eundem ſacroſancte obſeruaturum, & religioſe impleturum, non tantum hoc quod modo declarat, ſed & ea omnia, quae per pacta Secum ineunda, vere & ſolenniter ſpondebit.

1 Respublica Polona, interregni tempore, titulo Sereniſſimae appellatur, quod ſerius contigit. Pactis *Henrici* praemittitur inclyti Regni nomen, quod ipſa illa pacta repetunt. VOL. CONST. *p. 224.* Neque ſequenti interregno, neque poſt *Stephani* obitum, Sereniſſimae occurrit vocabulum, quin imo Regis Sueciae legati, qui *Sigismundum*, Regium Principem, commendabant, in ſua oratione aliquoties nominabant Rempublicam, nullo addito, honoris cauſſa, cognomine. *Epiſtolae Sigism. Aug. a* MENCKENIO *editae p. 690. ſ.* Eodem vſus Reipublicae titulo, Regis filius *Iohannes Caſimirus*, cum mortuo patre *Sigismundo III.* pro fratre *Vladislao* coram Ordinibus verba faceret. PIASEC. *Chron. p. 451.* Ante *Michaelis* Regis electionem nolebant Ordines litteras Caeſaris recipere, quod nomen Reipublicae Sereniſſimae in iis deſiderabatur, quo tamen legatus, quod antea monitus, in ſua oratione, eandem compellabat. *Epiſt.* ZAL. *T. I. p. 121.* Nihilominus poſt *Iohannem III.* Caeſar in ſuis litteris ad Rempublicam, veteri vocabulo *inclytae* vſus: at Ordines litteras publice legi paſſi non ſunt, & legatus in ſuo ſermone, Sereniſſimam vocauit, cum fruſtra antiquum morem allegaſſet. *Epiſt.* ZAL. *T. II. p. 347.*

2 Attingit Sacra Regia Maieſtas ſtirpem *Iagellonis* modis duodecim, tot enim ex eodem per *Vladislaum* Bohemiae & Hungariae Regem, *Vladislai Iagellonis* nepotem, ac tres eiusdem neptes deſcendit. Prodiit a. 1733. tabella, qua cognationes illae oculis ſubiiciuntur.

3 Petitus ex Suecia *Sigismundus*, qui hoc nomine affectu gentis Polonae dignus viſus, quod per matrem ex *Vladislai Iagellonis* ſanguine deſcendebat.

4 Quae videantur §. 1.

5 In PACTIS §. 2. domui Regiae nullum ſuccedendi ius permittitur.

6 §. 29. PACTORVM CONVENTORVM.

7 Vult §. 21. PACTORVM, vt foedera cum exteris renouentur & conſeruentur, ac ſi quae diſſidia, componantur.

8 Vid. §. 58. PACTORVM.

9 §. 21. ſaepius allegatorum PACTORVM.

10 In *Henrici* pactis, promittuntur Reipublicae contra quoscunque hoſtes auxilia, &, ſi maluerit, pro auxiliis pecunia, aduerſus Moſchum vero, quatuor millia peditum Vaſconum cum ſtipendiis in certum tempus; praeterea claſſis neceſſaria & ſufficiens ad tuendos portus Polonicos. VOL. CONST. *p. 224. 225.* Et ab *Auguſto II.* offeruntur in PROPOSITIONIBVS *ſ. Więc żeby*, quouis ingruente periculo, expoſcentibus Ordinibus, ſex militum millia Regiis ſtipendiis alenda, aut pecunia pro conducendo pari copiarum numero.

11 Inceptas Cameneci munitiones, ſuis ſumtibus continuare & finire, *Vladislaus IV.* & *Iohannes Caſimirus* PACT. CONV. §. *municyą*, *Michael* vero reparare voluit. PACTA CONV. §. *zawzięc.* Sub hoc Camenecum fuit amiſſum, cuius recuperationem *Auguſtus II.* non tantum in ſe recepit, PROPOSIT. §. *odebranie* ſed vt Regno reſtitueretur, effecit.

12 Excitauit illud *Iohannes III.* cum Camenecum a Turcis teneretur, vt hoc

praesidio hostium incursiones coërcerentur, *Augustus II.* spopondit, Propos. §. *Fortece*, omnia propugnacula in optimo statu seruare.

13 Pacta Conv. §. 52.

14 Fuerunt iam *Sigismundi III.* tempore, Leopoli quaedam scholae militaris initia, quam perficere filii *Vladislaus IV.* & *Iohannes Casimirus* voluerunt. Pacta Conv. §. *A iż Aparat.* Quod cum non factum, *Iohannes III.* sumtus non tantum in scholam Varsauiae instituendam, sed & in viros qui studia militaria docerent, promisit. Pact. Conv. §. *Szkołę.* Neutrum tamen praestitit, excusatusque post mortem magnifice, „quasi omnibus scholis par, aut maius fue-„rit theatrum, cum Princeps suo exemplo, ad bellicae gloriae fastigium erudiret, „& victrici manu, vltra Poloniae limites in hostium duceret.„ *Epist.* Zal. *T. II. p. 188.* Quare in Proposit. *Augusti II.* §. *Szkołę* schola militaris inter res efficiendas, iterum locum obtinuit.

15 Eiusmodi Xenodochium exstrui iusserat *Stephanus* Varsauiae, sed cum reditibus destitueretur, tempore *Vladislai IV.* in armamentarium conuersum. Const. *a. 1638. p. 13.* In Const. *a. 1662. p. 10. tit. Szpitale*, fit mentio Xenodochiorum militarium Varsauiensis, Tycocinensis, Leopoliensis & aliorum, simul in ius vocantur, qui eorum reditus sibi erogarunt. Anno 1667. permissum Palatino Kiouiensi *Stanislascio*, Cameneci in Podolia, militare Xenodochium condere. Const. *a. 1667. p. 41. tit. Szpital.*

16 Solet praeter alia, a Regni canditatis, pecunia in publicum vsum offerri. Gallici legati, pro *Henrico*, praeter solutionem debitorum, Reipublicae caussa contractorum, singulis annis, quadringenta quinquaginta florenorum millia, ex reditibus Gallicis promiserunt. Vol. Const. *p. 225. Stephanus* pariter debita publica soluere, pro securitate finium aliisque necessitatibus, ante aduentum in Regnum ducenta millia florenorum, & ad repentina Regni praesidia, mille equitum & quingentorum peditum stipendia numerare voluit. Vol. Const. *p. 251. 252.* A *Sigismundo III.* solutio debitorum in pactis nominatorum ac sumtus in defensionem Regni faciendi, donec veniret Cracouiam expectanda erant. Vol. Const. *p. 453. Vladislaus IV.* & *Iohannes Casimirus*, habito in comitiis coronationis cum Ordinibus consilio, vt debita soluerentur, curare voluerunt: Pact. Conv. §. *Dług.* praeterea *Vladislaus* summas nonnullas sibi debitas, Reipubl. remisit. Pact. Conv. §. *summy. Michael* ob priuatas angustias, pecuniam in publicum offerre non potuit. *Iohannes III.* Reipublicae, debita sibi ab illa centum & quinquaginta florenorum millia donauit, simul lapides pretiosos, trecentis triginta octo millibus oppigneratos redimere pollicitus. Pact. Conv. §. *Względem.* & §. *Kleynoty. Augusti II.* liberalitas decem millionum fuisse dicitur. *Epist.* Zal. *T. II. p. 360.* quamuis propositiones pactis adiectae non certum millionum numerum exprimunt, sed §. *miliony*, cauent, vt solis militibus in debita stipendia cedant. Tres autem milliones, quas erogare in publicum S. Regiae Maiestati placuit, efficiunt quingenta nummorum imperialium millia, senos florenos Polonicos in singulos nummos imperiales computando.

17 De legationibus ad exteros dictum ad §. 25. Pactorvm Conventorvm. Peraguntur illae Reipublicae sumtibus, & auditum saepius pecuniam in Thesauro non suppetere, vt ideo vel omitti legatio, vel a legato suis sumtibus, postea a Thesaurario repetendis, suscipi debuerit. Anno 1718. Thesaurarius Litua-

Lituaniae ex suo numerabat, minori ad aulam Russicam legato, in iter nummos aureos quadringentos, quod Thesaurus egebat.

18 Vid. Pact. Conv. §. 17.

19 Proposit. Augusti II. §. *Wakance.*

20 Pact. Conv. §. 66.

21 Pact. Conv. §. 45.

22 Pact. Conv. §. 59.

23 Pact. Conv. §. 62.

24 Pact. Conv. §. 64.

25 Egent remediis commercia, quae non longe a ruina abesse videntur. Bella, vicinorum industria, rerum conuersiones, torpor & incuria, praesentem induxerunt faciem, quam omnes queruntur. Ampla sunt, quae in rem commerciorum ante hos centum & sexaginta annos, legati Galli in pactis *Henrici* promiserunt. Vol. Const. *p. 225.* probantque iam tunc de melius ordinanda mercatura fuisse cogitatum, quae illo tempore, si cum nostra aetate conferatur, admodum floruit. Postea saepius de augendis commerciis actum, fructu tamen exiguo, aut nullo.

26 Missae sacrificium, pro salute Regum Poloniae intelligitur.

27 Praeter reditus, qui Regibus assignati.

28 Solet Respublica Regiam sobolem alere, deditque exemplum in *Sigismundi III.* prole. *Iohannes III.* vero suam priuatis sustentauit sumtibus, quae post Parentis obitum nihil a Republica recipiens, in bona eius haereditaria, & quae iure pignoris tenuerat, successit.

§. LXXVII.

OMNIA IVRA SERVANDA.

Denique omnia iura [1] & immunitates, priuilegia & libertates omnium perſonarum, ſtatuta Regni & M. D. Lituaniae, & annexarum prouinciarum, omnibus Ordinibus ſpiritualibus, Romani & ritus graeci vnitorum [2], & ſaecularibus, incorporatis & annexis prouinciis, academiis Cracouienſi, Zamoiscenſi & Vilnenſi [3], vt & ciuitatibus omnibus ſeruientia, iuſte & legitime conceſſa, omnibus & ſingulis, & articulos omnes in coronationibus Regum Henrici [4], Stephani, Sigismundi III. Vladislai IV. Iohannis Caſimiri, Michaelis, Iohannis III. & Auguſti II. ſanctae memoriae Parentis & Anteceſſoris noſtri ſancitos, & coaequationem iurium atque ordinationem Tribunalis [5], ſimul diſtributionem & locationem vtriusque gentis & auctoramenti ſecundum praeſcripta legum [6], & illud omne, quodcunque in futuris, Deo dante, coronationis & aliis poſtea ſecuturis comitiis, vnamini omnium Ordinum conſenſu, ſancitum & conſtitutum fuerit, Nos ſeruaturos, & integre in omnibus punctis, clauſulis, nexibus & ligamentis, manutenturos & adimpleturos ſpondemus. Litteras ſimul confirmationis iurium & praeſentium pactorum, & huius noſtrae ſponſionis, exemplo Anteceſſorum noſtrorum dare promittimus [7].

1 Ab *Henrici* tempore Regum Pacta conuenta, eodem modo finiunt, omnia iura a nouo Principe ſeruatum iri: hoc ſaltem discrimine, quod in recentioribus plures enumerantur ſpecies, pauciores in antiquioribus.

2 Vnitorum ritus graeci primam *Auguſtus II.* mentionem fecit, de quibus ad §. 5. actum.

3 Iura Academiae Cracouienſis primus inſeruit *Michael*, Zamoiscenſis *Auguſtus II.* quibus iam Vilnenſis accedunt. De Cracouienſi dictum ad §. 70. de Vilnenſi ad §. 71. & quod ad Zamoiscenſem attinet, condita illa circa finem ſaeculi XVI. habetque eundem quem ciuitas illius nominis auctorem, illuſtrem ſcilicet *Iohannem Zamoiscium*, cancellarium ſuo tempore, & exercitus Polonici ſupremum Ducem.

4 Articuli *Henrici* paſſim a nobis in commentario allegantur. Conſcripti fuerunt in illius electione, eidemque Pariſiis oblati, nec non a *Stephano* repetiti & confirmati. VOL. CONST. *p. 253. 275.* quosque obſeruaturos ſe, omnes qui ſucceſſerunt, Reges promiſerunt. Praeter hos articulos non dantur alii, qui *Henrico* in coronatione fuiſſent exhibiti, licet in fine pactorum *Sigismundi III.* ſanciti in coronatione vocentur. Neque reperiuntur, qui in Succeſſorum coronationibus ſcripti, niſi velimus conſtitutiones comitiorum coronationis intelligere. *Sigismundus III.* tantum articulorum Henrici meminit, filius vero *Vladislaus*, Henrici Stephani & Sigismundi: cuius exemplum tantum valuit, vt caeteri priorum Regum articulos, incipiendo ab *Henrico*, ſuo ordine allegarent.

5 Coaequationis iurium & ordinationis tribunalis primam mentionem fecit *Auguſtus II.* Intelligitur autem coaequatio Lituanica, & magni illius Ducatus ordinatio tribunalitia. De vtraque ad §. 16. dictum.

6 Et quidem ad mentem Conſtit. a. 1717. vid. §. 55.

7 Quod & more recepto, poſt coronationem die 19. Ianuar. 1734. factum. Generalis haec iurium confirmatio latine perſcripta, conſtitutionibus comitiorum coronationis praemitti ſolet. Vnius *Henrici* confirmatio ſermone Polonico legitur.

§. LXXVIII.

NON PRAESTANDVM OBSEQVIVM, NI IVRA SERVENTVR.

Si vero (quod Deus auertat!) aliquid contra iura legitime data, libertates, articulos & conditiones omnes, egerimus, aut aliquid non impleuerimus, tunc incolas Regni vtriusque gentis, ab obedientia & fide Nobis debita liberos facimus, ſecundum Conſtitutiones annorum 1576. 1607. 1609. [1]

1 In fine articulorum *Henrico* oblatorum, legitur, „quod Rex, ſi aliquid „(quod Deus auertat) contra iura, libertates, articulos, conditiones egerit, „vel aliquid non impleuerit, incolas Regni vtriusque gentis ab obedientia & „fide debita liberos faciat. VOL. CONST. *p. 257.* Eadem obedientia Ipſe *Henricus*, ciues in forma iurisiurandi ſui exſoluit, ſi hoc in aliquibus violauerit: VOL. CONST. *p. 227.* cuius exemplum omnes Reges ſecuti, dum Reipublicae iurarunt; pactis autem conuentis, clauſula haec ante Vladislaum IV. adiecta non eſt. Ne tamen lex ad turbas domeſticas ianuam aperiret, renunciarentque ciues ſtatim Regi obedientiam, ſi contra iura commiſiſſet, aut pacta non impleuiſſet, explicabatur illa a. 1576. in eum ſenſum: „non ſolui aut la„xari ciuium obſequium, ſi quid eiusmodi per aliquem humanum errorem Re„gi exciderit, aut obrepſerit, in quo ius & libertas communis laedi videretur, „ſed tum demum, ſi a volente & ſciente Rege, iura aut libertates, ita aut per „potentiam opprimerentur, aut per contemtum & temeritatem in dubium vo„carentur, vt ne admonitione quidem Senatus, aut reliquorum Regni Ordinum „quicquam profectum eſſe videretur. VOL. CONST. *p. 279.* Iterum interpretanda erat lex *Sigismundi III.* tempore, cum Regi laeſa iura, & pacta minus impleta obiicerentur, nonnullorumque molitiones iam in apertam ſeceſſionem erupiſſent. Tunc enim Rex in comitiis a. 1607. ex mente Ordinum edicebat,

bat, „ſi plane & animo deliberato ius commune violaret, aut aliquis contra „iura & communem libertatem opprimeretur, illudque liquide & re ipſa probari „poſſet, vnicuique Senatorum licere in ſuo tractu illud cum caeteris communi„care, remque ad Primatem referre, qui ſiue ſolus, ſiue vna cum aliis Senato„ribus, habito prius conſilio, Regem moneret, Rexque illud in quo aberratum „corrigeret: hoc ſi non fieret, debere eundem Primatem cum Senatoribus Re„gni, Regem iterum monere, denique ſi necesſitas poſtulauerit, rem Ordinibus „in comitiis exponere. Quod ſi vero neque tunc Rex facti ſui iuſtas rationes „allegauerit, & Ordinum precibus locum dare voluerit, tum demum Ordines „ex lege de non praeſtanda obedientia agere poſſe. Vol. Const. *p. 867.* Conſtitutio a. 1609. pariter ternas admonitiones praecipit, antequam locum habeat caput de non praeſtanda obedientia, primam & ſecundam priuatim, illamque per Primatem aut Senatores ad latus Regium agentes, aut alium quemuis Senatorem, hanc per nuncios illius diſtrictus ad quem in conuentu ſuo antecomitiali, ſiue per Senatorem ſiue per nobilem res relata fuerit; tertiam publicam ab omnibus Ordinibus in comitiis praeſentibus. Quando vero neglectis his admonitionis gradibus, aliisque in hanc rem ſancitis, aliquis militem legeret, ac tumultu concitato pacem turbaret, cauſſam praetegens, quaſi Rex contra ſalutem & libertatem Reipublicae egiſſet, illum ad comitia citari, ibidemque per Regni Ordines, Rege abſente, iudicari debere. Vol. Const. *p. 889.* Tam caute, tam cogitate ac prouide Respublica agendum cenſuit, quando per ſuſpiciones & Principis ignorantiam, Maieſtas ac ipſa ciuium ſalus in ſummum diſcrimen adduci poſſunt. Vidit orbis exemplum, & ſenſit Polonia, ſub Auguſto II. Regum mitisſimo, vbi nonnulli, facta a Republica ſeceſſione, Principem neque rite monitum, neque vllius culpae ſibi conſcium, multo minus inique actorum tenacem, imperio exuere conati, ipſa Republica Regem ſuum fortiter tutante. *Memoir. ſur les dernier. revolut. de la Pologne p. 109. 110.*

INDEX

INDEX RERVM.

Corpo-

G.

G.

Secre-

ERRATA.

Pag. 11. l. 18. leg. arceri; abſentes. p. 19. l. 2. leg. Sallarolianam. lin. 30. 31. leg. ſexcentis. p. 20. lin. 25. leg. teſtarentur. p. 21. lin. vlt. ſeruatur. p. 24. l. 28. leg. talesque nunquam. lin. 37. leg. Andraeiouienſi Abbatia Olczouio. lin. 41. leg. 1685. p. 26. lin. 15. leg. illi. p. 29. l. 21. leg. conſiliarios. p. 30. l. 33. leg. Cancellarios. p. 36. l. 24. leg. Archiepiſcopatus & Epiſcopatus. p. 40. l. penult. leg. Maieſtatis, quam & Sac. Reg. Maieſtatis &. p. 53. l. 25. leg. diffidentias. p. 56. l. 5. leg. *Malronke*.

LIPSIAE
EX OFFICINA
BREITKOPFIANA

I